DE ALPHA VOCALI
APUD HOMERUM PRODUCTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XX M. DECEMBR. A. MDCCCLXXVI HORA III
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANZISCUS HARDER
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

A. KRAUSE, DR. PHIL.
O. KECK, DR. PHIL.
M. NIEMEYER, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM, FORMIS KARRASIANIS.

ADOLFO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Cum in cuiusvis linguae legibus accuratius cognoscendis id non minime spectandum sit, ut omnes exceptiones unde ortae quove modo explicandae sint, intellegatur et, quantum fieri potest, leges, si quidem verae sunt, quippe quae natura sint constitutae sine ulla exceptione esse demonstretur, operae pretium me facturum esse duxi, si de lege illa non parvi momenti, ex qua e duabus graecae linguae dialectis primitiva vocalis â evanuit, quaestionem instituerem quoque modo factum esset, ut tamen in tot vocibus ea vocalis inveniatur, studerem explicare: quae quaestio quamquam de nonnullis vocibus alia data occasione iam ab aliis tractata, tamen universa quod sciam nondum mota est. Neque vero ipse nunc eam universam suscepturus sum, sed in eas tantum voces, quae in Homeri carminibus legi illi obstant vel videntur obstare, diligentius inquiram, ita ut primum voces locosque ubi legantur indicem, ex aliis scriptoribus hic illic, si quid inveni quod ad rem propositam illustrandam aut necessarium aut aptum videatur, apponam, deinde quantum potero de origine illius vocalis aut virorum doctorum aut meam afferam sententiam. —

Priusquam vero ad rem ipsam aggrediar, de illa lege pauca, in universum satis nota, praemitto, ut sciant lectores quid mihi velim.

Constat enim „a“ vocalem, quae in lingua indogermanica latissime patuit, ab eis populis qui in Europam transmigraverunt, ita esse affectam ut partim immutata restaret, partim in „o“ et „e“, inde raro apud Graecos, saepissime apud reliquos (ex „o“) in „u“, (ex „e“) in „i“ mutaretur: Graeci igitur pro vocalibus quae erant temporibus illis remotissimis â, ă, ai, au (nam i et u hic nil faciunt ad rem) habent *ᾱ ω η*; *ᾰ ο ε*; *αι οι ει*; *αυ ου ευ*.

Cum vero a breve quod attinet, mutationis regulas ab omni parte certas nondum perspexerimus, sed saepius in una radice tres videamus formas, velut a radice bhar *φάρ-ετρα, φόρ-ος, φέρ-ω,* in a producto mutato aut non mutato gravissimum dialectorum discrimen positum est: scilicet, nisi antea in ω transiit, remansit apud ceteros, apud Iones Atticosque, qui tum nondum discesserant in η transiit, ubi non erat post vocalem aut ρ litteram: deinde post discessum earum gentium ab Ionibus vel, (ubi ad id tempus restiterat) post vocalem et ρ mutatum est. —

Cum vero ᾱ et in Iade et apud Atticos etiam tum, cum littera antecedenti non excusatur, saepissime nobis occurrat, aut illa lex non vera est, aut vocalis ᾱ tum non est primitiva, sed post illud temporis spatium, quo vetus ᾱ mutabatur, aliquo modo aliunde orta, quod aut e certis linguae legibus aut poetae libidine, cogente necessitate metri factum esse potest: aut illas voces in Iadem vel Atthidem ex aliis linguis dialectisve transiisse demonstrandum est: in nonnullis denique vocibus alias quoque causas excogitari posse infra videbimus. —

Quaestionem autem ita instituendam esse puto, ut primum eas voces, in quibus a produci ipso metro cognoscitur, afferam, deinde paucas eas adiciam, ubi non metro, sed analogiis de quantitate vocalis constat.

A.

De eis vocibus homericis, in quibus *α* produci metro cognoscitur.

I.

De eis vocibus, in quibus vocalis ᾱ ex ipsa Iade certis linguae legibus explicari posse videatur.

Cum duae maxime sint rationes, unde ᾱ vocalis orta esse potest, contractio et productio suppletoria primum de eis vocibus agam, quas alterutra ratione explicandas esse aut sine ulla dubitatione aut magna cum probabilitate statuere possumus, deinde his certis formis nisus ad eas accedam, quae maiori dubitationi obnoxiae, aut prorsus alio modo explicandae sunt.

a) ᾱ contractione ortum est.

1. Verba contracta in αω.

Permulta exstant exempla quibus demonstratur α + ε contrahi in ᾱ : e. c.

ὅρα Il. 23, 386. φοίτα Il. 15, 686. ἐνίκα Od. 3, 121. πειράτω Il. 8, 8. κοιμᾶτο Il. 1, 610. ἀρᾶται Il. 9, 240. διασκοπιᾶσθαι Il. 17, 252 et similia: nam omnia huius generis exempla affere operae pretium non est. Ne cui vero α + ε interdum etiam in η contractum esse videatur, de nonnullis formis, quae hanc in partem vocatae sunt, (cf. Krüger II, § 34, 5, 3) sententiam exponam.

1) ὁρᾶται Il. 24, 291; ὁρᾶτο Il. 1, 56. 198. 21, 390: recte sic scribitur, quamquam Zenodotus, teste Schol. A ad Il. 1, 56 ὅρητο, ὅρηται scribi iussit: sed ne is quidem in sua scriptura η ex contractione vocalium α + ε effectum esse, sed verbum esse ὅρημι statuit. Quod verbum quamquam ut statim videbimus in carminibus Homericis exstare nequit negari, tamen locis, de quibus agimus, contra omnium ceterorum testium sententiam pro solito illo et usitato ὁράω intrudi non debet.

2) ὅρηαι Od. 14, 343: hanc formam Krüger. 34, 5, 4 contractione ex ὁράϝαι ortam esse putat, quamquam, ut ipse recte monet, accentus repugnat: neque propter accentum hanc sententiam reiciendam esse existimo, sed ea de causa, quod certum exemplum talis contractionis deest: hic igitur eis assentior qui formam a verbo ὅρημι deductam esse putant.

3) προςαυδήτην Il. 11, 136. 22, 90.
φοιτήτην Il. 12, 266 (Eustath. var. lect. habet φοιτείτην.)
συλήτην Il. 13, 202.[1])

Has formas ne quis ita explicare conetur ut in duali contractionem ante illud tempus factam esse dicat, quo regula de ᾱ in η mutando valuerit, — quod recte dicitur de nonnullis

[1]) συναντήτην Od. 16, 333 falso cum reliquis a Krügero coniunctum est, cum verbum ἀντέω, non ἀντάω esse ex forma ἤντεον (Il. 7, 423) appareat neque repugnent formae reliquae velut ἀντήσω, ἤντησ', ἀντήσειε etc.

Alia est conditio verbi φοιτάω: cum quamquam apud Herodotum exstat φοιτέω (φοιτέοντες 1, 78; φοιτέουσα 3, 119), tamen in Homeri

declinationis formis — obstat vox νεμεσᾶτον Il. 23, 494: nam Heynii optativus νεμεσῷτον hic vix cuiquam probetur.

Neque magis res ex confusione cum flexione verborum in εω explicari potest, cum ε + ε apud Iones in ει contrahatur: quod autem veteres (cf. Schol. ad Il. 22, 90) de Dorismo cogitaverunt, — Dorici enim ε + ε in η contraxerunt — id omnino reiciendum est, cum praeter Aeolismum quendam certis finibus inclusum, de quo egit Hinrichsius, alius externae dialecti vestigia in homericis carminibus reperiantur nulla.

Quo accedit, quod in verbis in εω simile aliquid invenimus: legimus enim

ὁμαρτήτην Il. 13, 584. (De Aristarchi mutatione ὁμαρτήδην (Schol. A) vide Spitzn. in comment. et Excurs. XII.).
ἀπειλήτην Od. 11, 313.
συναντήτην Od. 16, 333: contra, secundum regulam:
ἐφομαρτεῖτον Il. 8, 191. 23, 414.
κομείτων (vide Scholia et Spitzn.) Il. 8, 109.
κομείτην Il. 8, 113.
δορπείτην Od. 15, 302 (Bekkerus nescio quo iure δορπήτην).

Itaque cum formae in ητην in verbis in αω et in εω inveniantur, sed neque cum hac, neque cum illa flexione conciliari possint, assentiendum esse videtur eis, qui has formas συγκεχομμένας vocant, ut Schol. L ad Il. 22, 90, Eustath. ad Od. 11, 313, scilicet vetustiorem flexionem in μι, quam apud Homerum latissime patere notum est, hic conspici: cf. Ribbeck, Homer. Formenlehre, p. 47.

4) Θῆσθαι: Od. 4, 89: hoc verbum, iam aliis de causis a verbis contractis in αω seiungendum, recte Ribb. p. 61 in eis posuit, quae ad analogiam vocis ἵστημι flectuntur.

5) κνῆ Il. 11, 639: haec forma, cum antecedat κύκησεν, sequatur ἐκέλευσεν — nam de πάλυνεν dubitari potest, — nescio an iniuria a Krügero et aliis pro imperfecto accepta sit: quamquam autem Passowio assentiens κνῆ pro aoristo syncopato

carminibus, ubi certi aliquid de forma colligi potest, ut Il. 15, 686 φοίτα, Od. 10,119 φοίτων etc., ad verbum φοιτάω deducamur: unde apparet Schol. L ad Il. 12, 266 non satis accurate annotare „ἀπὸ τοῦ φοιτάω ἢ τοῦ φοιτέω" neque var. lect. ab Eustathio commemoratam φοιτείτην ullam probabilitatis speciem prae se ferre.

accipio, (cf. φῆν pro ἔφην; στῆν, στῆ) neque contractionem hic agnosco, tamen formam κνῆ, nisi sensus repugnaret, in hoc maxime verbo, in quo etiam Attici contra morem in η contrahunt, ex κνάε contractam esse posse non negaverim: cuius contractionis causam in ipsa verbi stirpe positam esse mihi persuasum est.

Sed vereor ne longus fuerim: volui demonstrare ex contractione vocalium α + ε, ubi quidem res perspicua est, semper effici ᾱ, non η.[1])

α + ει contrahitur in ᾳ quod in infinitivo α scribi solet: velut δαμᾷ Il. 1, 61. ἀρετᾷ Od. 4 329. δαμνᾷ Il. 14, 199: hoc ex δαμνάει ortum est, non, quod voluit Aristarchus, (Schol. B. L et V) ex δάμνασαι „δωρικῶς".

Denique ex α + η ᾱ, ex α + ῃ ᾳ fieri non opus est ut exemplis demonstrem: moneo tamen interdum (in coniunctivis) non satis liquere utrum ᾱ ex α + η an ex α + ε ortum sit, ut e. c. in μνᾶται Od. 16, 77. 19, 529.[2])

2. De contractione in flexione nominum.

In flectendis nominibus nonnulli casus iam in lingua vetustissima contractionem passi sunt: in quibus formis ᾱ secundum regulam in η transiit: in aliis contractio sero ac post transmutatas vocales ᾱ facta est, scilicet in duali, quod hauscio an ex rariore huius formae usu explicari possit. Loci autem, qui ad nostram rem pertinent, hi sunt:

Ἀτρείδᾱ δὲ Il. 1, 16: ubi pluralis Ἀτρείδας, var. lect. apud Schol. A, auctoritatis nil habet. —

Ἀτρείδᾱ δὲ Il. 1, 375.

„ „ Il. 19, 310: hic dualis recte ex cod. Venet., aliis, Eustathio, ab editoribus recc. restitutus est. —

προφανείσᾰ ἀνὰ, h. e. προφανείσᾱ Il. 8, 378: sic Aristarchum dedisse tradunt Scholiastae B. L; A in lemmate habet προφανέντε, quod in V eidem Aristarcho tribuitur. Herodiani Zenodotique (Schol. B. L) scriptura προφανείσας, h. e. προφανεῖσας, quod talis correptio, ut

---

[1]) Quod Krüger. Herod. IV. 75 Θυμιῆται scripsisse dicit, id cum iam in cod. A Θυμιᾶται correctum sit, certe valde dubium est.

[2]) De diectasi (Zerdehnung) alio loco agetur.

infra videbimus apud Homerum alias non invenitur, reicienda est: *προφανεῖσα* autem scribatur an *προφανέντε* (sic Bekkerus: cf. Il. 8, 455) difficilis est quaestio, quam pro certo diiudicare non ausim. — Accedunt

ὠκυπέτα χρυσέῃσιν . . . Il. 13, 24.

κορύστα Il. 13, 201 in fine versus.

Cum dualis suffixum primitivum â iam in lingua indogermanica in ă corripi coeptum sit, quod apud Graecos in ε transiit (cf. L. Meyer, Gedrängte Vergl. der griech. u. lat. Declin. p. 60), formae in ᾱ ex contractione vocalium α + ε ortae sunt: ceterum de hac re minime absoluta infra, ubi de prima quae vocatur declinatione verba facturus sum, plura disputabo.

3. De singulis quibusdam vocibus.

ἄκων.

τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην legimus Il. 5, 366. 11, 281. 22, 400. Od. 3, 484: cf. Hymn. in Cer. 380. 413.

Contra *ἀέκ(ων)* e. c. Il. 5, 164. 11, 557. 16, 264. 17, 666. Od. 4, 646.

ἀεκάζει Il. 6, 458. Od. 18, 135 [Od. 19, 133 in versu iam veteribus suspecto] cf. Döderl. hom. Glossar II, 24.

ἀέκητι Il. 11, 667. Od. 4, 665: Döderl. II, 25 (§ 439).

Initio vocis *ἑκὼν* ϝ litteram fuisse indiciis constat satis firmis: cf. Hoffmann Quaest. hom. II, 36; G. Curtius Grundz. d. griech. Etymol. p. 130 (tertiae editionis paginas indico).

Habemus igitur *ἀϝέκων*, tum, evanescente ϝ littera *ἀέκων*, denique *ἄκων* (cf. Schol. A ad Il. 5, 164 „*τὸ γὰρ ἄκοντα συναλοιφή ἐστι τοῦ ἀέκοντος*“ et Lehrs. de Aristarchi stud. hom. p. 315).

λᾱρός.

λᾱρὸν (*αἷμ' ἀνθρώπου*) Il. 17, 572.

λᾱρὸν (*δεῖπνον*) Il. 19, 316: ubi Eustathius lectionem *κλισίῃ λᾱρὸν* recte alteri, *κλισίῃσι λἄρόν*, praefert. —

λᾱρὸν (*δόρπον*) Od. 12, 283. 14, 408.

λᾱρώτατος (*οἶνος*) Od. 2, 350: qui superlativus contra regulam illam videtur conformatus, secundum quam ante-

cedente syllaba producta suffixa ότερος, ότατος adhibentur. —

cf. denique Hesiodi fragm. 213 (Göttl.) ex Etymol. Magno:

βαίνον λᾶροῖς ποσὶν: quod Schol. ad Apollon. Rhod. 1, 456 interpretatur „κατ᾽ ὄψιν ἡδέσιν". —

De origine vocis si quaerimus, Homeri Scholiastae audiendi sunt, qui haec habent: „ἀπολαυστικὸν, παρὰ τὸ λῶ ὅ ἐστι θέλω" (V ad Il. 17, 572) „ἡδὺ" (B ad Il. 19, 316), deinde Suidas s. v. λαρὸν: „χλιαρὸν, προςηνὲς, ἡδὺ", quem fortasse secutus Lobeckius in pathol. elem. II, 107 dicit: „λαρὸς et λιαρὸς" [quae forma ex χλιαρὸς orta est: ibid. p. 138] fortasse ab eodem capite ducta, sunt significatione non admodum diversa": qua in re vir egregius fallitur, cum λαρὸς et λιαρὸς et propter illud ι et propter quantitatem vocalis α nullo modo conciliari possint.

Rectius Curtius Grundz. p. 337 radicem esse contendit λασ, unde praesens est λάσω = λάω, dorice λῶ: cf. λιλαίομαι = λι-λας-joμαι, goth. lus-tus. Ut igitur φοβερὸς suffixis ερ-ο-a stirpe φοβ, sic a radice λασ λἄσερὸς deductum est: cuius adjectivi superlativus prorsus secundum regulam erat λασερώτατος: postea σ littera elisa vocales contractae sunt: λᾶρός, λᾶρώτατος.[1])

Quod autem apud Xenophanem (5, 2), Aristophanem (in Pace 925, Av. 465) alios (cf. Müller ad Apollodori fragm. 230) legimus λᾶρινὸς, id ex λᾶρὸς vel λασερὸς eodem suffixo derivatum est, quo a νυκτερὸς νυκτερινός.

Ceterum ei, qui has voces a radice λαϝ quae exstat in ἀπολαύω derivatas esse putant, quam sententiam significat Schol. V ad Il. 17, 572, amplectitur Passow. in lexico, commemoravit olim Curtius p. 339 quamquam dubitanter, formam quod attinet prorsus eadem explicandi ratione utuntur, significationem autem si spectaverimus, etymologiam quam priore loco posui praeferendam esse iudicabimus.

---

[1]) Iniuria igitur Bekkerus (Homerische Blätter p. 280) hanc formam vocat „regelwidrig".

ἀριστον.

(De hac voce breviter tantum refero quae Curtius (in Stud. II) pluribus exposuit.)

In substantivo ἄριστον productio vocalis non solum explicanda, sed etiam Homero restituenda erat, id quod fecit Bekkerus. Vulgo enim haec vox, in qua α vel apud posterioris aetatis scriptores semper fere producitur, apud Homerum duobus his versibus vocali correpta legitur:

Il. 24,124: ἐσσυμένως ἐπένοντο καὶ ἐντύνοντο ἄριστον.

Od. 16,2 ἐντύνοντο ἄριστον ἅμ' ἠοῖ . . .:

ubi praeter quam quod correptio in tali voce mira est, in hiatu offendimus. Jam cum in Odyssea vel optimi codices hanc praebeant scripturam „ἐντύνοντ' ἄριστον", recte sine dubio is versatus est, qui hoc in utrumque versum recepit. Stirps autem vocis, quae a multis falso ad adjectivum ἄριστος referebatur,[1] secundum Curtium est us, cum guna qui vocatur, aus, unde compluribus suffixis verbum quoddam ἀϝερίζω, hinc substantivum ἀϝέριστον, ἀέριστον, ἄριστον ortum est: quae etymologia ad veram vocis significationem prorsus quadrat (cf. Apollon in Lex: „τὸ ἕω θινὸν δεῖπνον": ἕως enim aeque ac latinum „aurora" ex eadem radice prodierunt), et optimam analogiam habet in nostratium voce „Frühstück".

Restant iam nonnullae voces quae utrum recte hic ponantur an illic ubi de „a" vocali spirantium vi producta agetur potest dubitari: quae dubitatio in vocem ἄκων non cadebat quod hic spirantem vocali non producta evanuisse e formis ἀέκων, ἀεκάζω etc. discimus, cadit iam in vocem ἄριστον, cum haec forma et ex ἀ̓έριστον et ex ἄ̓έριστον prodire potuerit. Hanc tamen vocem hic posui, quod nil obstat quin productionem non iam vi spirantis sed contractione demum effectam esse existimemus: cur de aliis vocibus, quas hic quis desideret, δαλός, (κᾶλον), δανός ἄτη aliter iudicandum esse censeam infra apparebit.

[1]) Sic e. c. Muretus var. lect. IV, 22: „ita dictum quod postea oporteret ἀριστεύειν".

Ib.

ᾱ productione suppletoria ortum est.

Saepissime α natura breve vi alicuius consonae, quae evanuit, productum est: quales consonae sunt ν, ντ, (τ); ϝ, j. — Cuius rei rationen causasque cum Brugmannus („de graecae linguae productione suppletoria") in Curtii Stud. IV, maxime p. 66 copiose exposuerit, hic licet praeterire. Accedamus igitur ad eas voces homericas, in quibus

1. α vocalis vi consonarum ν, ντ, (τ) producta est.

ᾰντ = ᾱ.

α ex αντ prodiit in nominativo singulari et in dativo plurali[1]) nominum in ας, αντος, quorum suffixum αντ esse ex reliquis casibus colligitur: velut in nominibus propriis, Αἴας, Θόας, Κάλχας, Ἀδάμας, Ἄβας, Φύλας; in subst. appellativis e. c. ἱμάς; ἱμ ᾶσι (Il. 23, 363); γίγᾱσι (Od. 10, 120); in participiis ut φάς multisque similibus: nolo enim in re notissima omnibus allatis exemplis tempus terere, praesertim cum duae restent quaestiones quas perstringendas esse puto.

Primum enim monendum est vocem πᾶς, quam quis huc pertinere putet, non ex πᾰ-ντ-ς ortam esse, sed ex stirpe pronominali ka vel πα et suffixo vant esse compositam (Pott I, 828; Curtius in „Kuhns Zeitschrift" III, 404, Grundz. 426; Stud. II, 166): πᾰϝαντ, πᾱαντ aut πᾰαντ (hoc iam diindicari nequit), παντ[2]). Compositionen autem re vera statuendam esse, ex neutro maxime apparet, in quo, si ex πᾰ-ντ ortum esset, productionis causa non perspiceretur[3]): τ enim in fine vocum vestigiis non relictis evanescere solet. —

---

[1]) h. e. in eis casibus quorum suffixa ab σ littera incipiunt.

[2]) Curtius, si eum recte intellego, primum kâ-vant, = πᾱ-ϝαντ fuisse dicit: si hoc necessarium est, aut prioris vocalis productio iam antiquissimis Graecitatis temporibus evanuit — qua ratione ad eum formarum ordinem ducimur quem supra posui aut ᾱ ob insequens ᾰ qualitatem retinuit: nam proprie ex πᾱ-ϝαντ in Iade et Atthide πηϝαντ, πηαντ, πηντ prodire debuit.

[3]) Hanc productionem non solum in simplici, sed antiquitus etiam in compositis fuisse quamquam non ex Homero qui habet ἅπᾰν, tamen

Deinde nonnullae formae exstant, in quibus ᾱ ex αντ vel non sequente σ littera nonnullis videtur ortum esse. Traduntur enim hi vocativi:

Πουλυδάμᾱ (σὺ) Il. 12, 231. 13, 751. 18, 285.
„ „ (καὶ) Il. 14, 470.
Λαοδάμᾱ (μάλα) od. 8, 141. — (τί) od. 8, 153. —

Reliqui autem vocativi nominum in ας αντος apud Homerum exeunt in αν:

Θόᾰν (οὔτις) Il. 13, 222.
Θόαν (καὶ) Il. 13, 228.
Κάλχαν in fine versus Il. 1, 86.
Αἶαν seq. vocali Il. 7, 288. 13, 68. 824.
„ seq. consona 7, 234. 9, 644. 11, 465. 12, 366. 17, 120. 23, 483. Od. 11, 553.

semel tantum Αἶᾱν Ἰδομενεῦ τε Il. 23, 493: praeter unum hunc locum, de quo mox sententiam exponam, terminatio αν pro correpta syllaba accipi aut potest aut debet. —

Quae formae quantas difficultates iam veteribus criticis paraverint, inde maxime apparet, quod tres scribendi rationes ab eis propositae sunt: e quibus illam quae exstat in codicibus, quam supra secutus sum, Aristarchi auctoritale niti ex Schol. A ad Il. 12, 231 discimus. Contrariam igitur viam is ingressus erat atque Zenodotus, qui Θόα, Κάλχα, Αἶα, sed. Πουλυδάμαν, Λαοδάμαν (nescio an ipse Zenodotus voluerit Πουλύδαμαν, Λαόδαμαν) scribi iusserat, testibus Scholiastis A ad Il. 1, 86. 13, 68. 222. 12, 231, V ad 14, 470. Placuit autem haec ratio etiam Chamaeleonti (Schol. A ad Il. 12, 231). Aristonicus denique hanc regulam constituit τὰ εἰς ᾱς λήγοντα διὰ τοῦ ντ κλινόμενα ἐπὶ τῆς γενικῆς ἔχει τὴν κλητικὴν εἰς ν̄: cf. Düntzer de Zenod. stud. hom. p. 54. —

Neque vero recentiores, quamquam plerique Aristarchum secuti sunt, quid de his formis statuendum arbitrentur consentiunt. Bekkerus enim neque Aristarchi neque Zenodoti rationem iustam habere causam, sed erroribus quibusdam palaeographicis

ex Attico sermone concludi potest, in quo ἅπᾱν semper, σύμπαν — id quod ex Dracone p. 26 colligitur — interdum α producto adhibebatur. De voce πᾱναπάλῳ infra agetur.

ortam esse itaque — quod iam voluit Aristonicus — ubique formas in *αν* reponendas esse contendit (hom. Blätter p. 158), alii aut discrepantiam ab Aristarcho constitutam retinentes aut ubique *α* scribentes circumspexerunt, quomodo contra usum vel posterioris sermonis terminatio *α* orta esset. Alii igitur de metaplasmo cogitaverunt (Lobeck. paralipom. 178), Brugmannus, qui ubique *α* scribere videtur, p. 89 hunc posuit mutationis ordinem: *Θοαντ Θοαυς Θοα*^{ν}*ς Θοα*^{νν} *Θόᾱ*. Quam explicationem si sequimur, causam non perspicimus cur in vocativo nominum in *ων, οντος*, quorum condicio prorsus eadem est, terminatio semper sit *ον*, formationis in *ω* autem nec vola appareat nec vestigium (cf. L. Meyer gedrängte Vergl. etc. p. 18). Quo accedit quod illa mutationis ratio quantum scio analogiis caret, immo *αντ* in fine vocis e linguae legibus in *αν* transit: de quantitate huius *αν* dubitari potest, ut statim videbimus, de *ν* littera non potest. —

Aut igitur metaplasmus agnoscendus aut ubique *αν* restituendum est, retracto quantum fieri potest accentu: illud servata, hoc reiecta auctoritate Aristarchi. Iam cum in nomine *Ἄτλας*, in voce eiusdem generis, vel apud Atticos vocativum in *α* in usu fuisse nemo neget, cum vim et ut ita dicam praepotentiam primae declinationis in flectendis nominibus propriis tantam esse constet, ut non solum nomina in *ης ους* in accusativo *ν* accipere possint, sed etiam e. c. pluralis nominis *Ἀριστοφάνης* sit *Ἀριστοφάναι, Ἀριστοφάνᾱς* (Krüger I, § 19, 12), tum sane in illis quoque formis, quas ab Aristarcho certe non sine causa, quamquam illam non iam perspicimus, contra usitatum dicendi genus receptas esse putaverim, tale quid iure agnoscemus [1]). Metaplasmus autem hic non in eo constat ut terminatio ipsa primae declinationis ponatur — quae potius, exceptis duabus formis *Ἑρμεία Αἰνεία*, *η* est apud Homerum, sed in ratione: ut enim illic ad nominativum in *ης* vocativus pertinet in *η*, omisso *σ*, sic hic ad nominativum in *ᾱς* vocativus in *ᾱ* pertinere videbatur. —

---

[1]) Quod Alcaeus (132 Bergk) teste Chöroboscο *Εὐρυδάμαν* dixit, secundum Constant. Lasc. vel *Πολυδάμαν*, id ad Homerum nil facere mihi videtur: immo, Aristarchum, cum formas in *ᾱ* receperit, quamquam apud Alcaeum *Εὐρυδάμαν* esse sine ulla dubitatione non ignorabat, causas habuisse rationis suae gravissimas existimo.

Iam videamus num interdum etiam *αν* ex *αντ* (in fine vocis) prodierit. Ac primam quidem vocem, in qua hoc accidisse videatur, neutrum *πᾶν* dico, prorsus alio modo explicandam esse iam supra indicavi: restant autem haec.

1) *Αἶᾰν Ἰδομενεῦ τε* Il. 23, 493.

Cum in nomine *Ἰδομενεὺς* *ϝ* litterae vestigium nusquam appareat, in voce *Αἶαν* aut evanescente *τ* littera ultima producta est, aut quod temporis in brevi syllaba *αν* metro deest, pausa repletur: iam cum illius productionis analogiae in hoc genere nullae, multae autem quibus talis pausae vis confirmetur [1]) exstent apud Homerum, ne hic quidem *αν* ex *αντ* prodiisse putaverim. —

2) Saepius terminatio tertiae personae pluralis in *αν* in arsi quam nos vocamus productam efficit syllabam, ubi in voce quae sequitur causa nulla perspicitur:

ἔφᾱν Αἴας Il. 7, 206.
„ *ἀπιόντες* Od. 9, 413.
„ *ἐρίηρες* Od. 10, 471.
λῦσᾱν ἄνεμοι Od. 10, 47.
τίθεσαν εὐερκέος Od. 22, 449.
στόρεσαν. ἐκ δὲ ξείνους Od. 4, 301.
ἔβαν ἐπὶ Od. 16, 358.
ἔσαν ὄρνιθες Od. 24, 311: (alia exempla, ubi illa productio etiam aliunde explicari potest, velut *ἔβαν οἶκόν δε* Il. 1, 606; *ἔχεαν ὑπὸ* Il. 8, 436 omitto). —

In his formis productio ex antiquissima terminationis forma „ant“ videtur esse repetenda, quae forma integra servata est in lingua latina, vestigiis quibusdam apparet apud Indos et in nonnullis graecae linguae dialectis (cf. accentum doricum *ἐλύσαν*, Ahrens p. 28): cum vero idem acciderit in terminatione *ον*, quae ex *οντ* orta est (cf. dorice *ἐλέγον*), velut *εἶχōν ἠδ'* Il. 2, 585, productio in vocali posita non est, quod tum *ων* scribendum erat, sed liquidam hic facere positionem Curtio (Stud. II, 166) et Hartelio (I, 111) assentiendum est: „dass wir ein voller klin-

---

[1]) Cf. Hartel Homer. Untersuch. III, 72, qui ne in verbis quidem quae sunt *Ἕκτορ εἶδος ἄριστε* Il. 17, 142 syllabam *ορ* positione, sed propter pausam metro satisfacere putat.

gendes und deshalb Position machendes ν anzuerkennen haben". Quam positionem illo τ effectam esse in his formis et negari nequit et eo libentius conceditur, quod certae sunt formae omnesque eiusdem generis et quae aliunde explicationem non habeant, cum vocativus ille et in suo genere analogiis careat et apte pausa excusetur. —

ᾱσ ex *αντ* ortum est:

ᾱσ ex *αντ* prodiit in terminatione tertiae personae pluralis *ᾱσι*, quam olim *αντι* fuisse cum ex linguis cognatis tum e dialecto dorica patet, in qua terminationes in *ντι* servatae sunt, nisi quod apud Boeotos τ in ϑ transiit. In aliis dialectis *ντ* ita affectum est, ut vocalis quae antecedit primum cum nasali efferretur, τ in σ transiret — cuius pronuntiationis vestigia in coniunctivis arcadicis *κρίνωνσι, κελεύωνσι* exstant — deinde evanescente magis magisque hac nasalisatione (ut ita dicere liceat) vocalis produceretur: quod in Iade et Atthide alio modo factum est atque apud Aeolios: hi ex *αντι* fecerunt *αισι*, ut ex *οντι οισι*, illi *ᾱσι*. —

His praemissis iam pauca afferam huius terminationis exempla: maxime autem perfecta nobis occurrunt velut

βεβάᾱσι μεμάᾱσι γεγάᾱσι πεφύᾱσι ἴσᾱσι ἑστήκᾱσι, ἑστᾶσι (contractione ortum ex *ἑστά-ᾱσι*) et multa alia. —

Deinde nonnulla praesentia huc pertinent: e. c. *φᾱσὶ; πιμλᾶσι* (ex *πιμπλᾰ-ᾱσι*); *ἔᾱσι*: in hoc enim verbo terminationes aut ad ipsam radicem as = *ἐσ* aut ad radicem suffixo „a" auctam accedunt: illud fit in *εἰσὶ*, quod est *ἐσ-ντι*, dorice *ἐντὶ* (Timocreon 3, 3. 5; Thucydid. 5, 77, ubi verba foederis inter Lacedaemonios et Argivos icti afferuntur)[1], hoc in *ἐσ-α-ντι* (apud Indos santi) = *ἔαντι ἔᾱσι*: cf. Stier in „Kuhn Zeitschr." 7, 1 ff. —

Cum autem terminationem in *ᾱσι* — de perfecto nunc loquor — quamquam plerumque productionem servare, tamen nonnumquam apud poetas corripi sciamus, iam quaestio oritur num apud Homerum talis correptionis vestigia inveniantur: duo autem loci huc pertinent. Primum enim versus Od. 11, 303 sic traditur: „*τέϑνᾱσιν. τιμὴν δὲ λελόγχᾰσι ἶσα ϑεοῖσι*": ad quem locum Eustathius primum lectorem moniturus annotat

σημείωσαι δὲ ὅτι τὸ λελόγχασι συστέλλει τὴν παραλήγουσαν"; deinde pergit „εἰ δ' ἴσως εὑρεθείη που κατ' ἔκθλιψιν τῆς ληγούσης γραφόμενον, τιμὴν δὲ λελόγχασ' ἶσα θεοῖσι, τότε δὴ καὶ αὐτὸ ἐκτεταμένον ἔσται κατὰ τὸ τετύφασι καὶ πεποιήκασι καὶ τὰ ὅμοια": quam Eustathii coniecturam Wolfius in textum recepit, Dindorfius (λελόγχασιν ἶσα) et Bekkerus (λελόγχασι ϝῖσα) correptionem statuerunt. Aut igitur hoc loco correptio, quae in Homeri carminibus uno quoque alio loco invenitur, facta est, aut ϝ litterae vestigia, quae in voce ἶσος servari solent (Hoffmann II, 47) hic evanuerunt: ac mihi quidem prius illud iure statui posse videtur, quod saepe in Homericis carminibus formae plerumque productae corripiuntur, ut ex alia parte etiam plerumque iam correptae veterem productionem servant: quae res ex origine carminum satis explicatur (cf. Hartel I, 29. 31). Melius igitur videtur cum veteribus criticis λελόγχᾰσι retinere quam alteram difficultatem altera expellere. —

Sed exstat alius locus in Odyssea, ubi eadem correptio facta est: scimus enim Herodianum in versu Od. 7, 114 qui sic traditur

„ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα"

non πεφύκει agnoscere sed πεφύκᾰσι: quam formam iam Thierschio (Gr. p. 343, § 211, 26 not) probatam Kirchhoffius, praeceptor illustrissimus, in textum recepit. Correptionem autem in hac maxime forma eo libentius agnosco, quod perfecti conformatio quae fit littera κ recentioris aetatis est. (cf. πεφύᾱσι Il. 4, 484). —

ᾱς ex ανς ortum est:

De accusativo plurali primae quae vocatur declinationis hic dicendum est. Huius casus suffixum in vocibus in ā desinentibus, h. e. in prima et secunda declinatione, id quod certissimis vestigiis constat, erat ns: quod non solum in lingua gotica, sed etiam in dialecto cretica, ubi forma πρειγύτανς exstat, (Ahrens II, 172) servatum est; in ceteris linguis aut producta vocali s evanuit (in Skrt. in vocibus quibus respondet secunda declinatio graeca) aut assimilatione ss factum est (in lingua osca) aut n eiectum est: hoc accidit in Skrt. in femininis in â et in graecis dialectis plerisque ita ut apud Aeolios termi-

natio sit *αις, οις*; in Iade et Atthide *ᾱς, ους*, apud Boeotos *ᾱς, ως*; interdum, maxime apud Doricos, *ᾰς, ος*. — cf. Giese p. 100 Boeckh de crisi Pindari § 19. Seidler in Mus. Rhen. III, 286, Düntzer „die Declinat. d. indog. Sprachen" p. 91, not. 40, ubi plura afferuntur. —

Recte igitur et prorsus secundum linguae leges ex *τραπεζᾰ-νς* ortum est *τραπέζᾱς* et sic in omnibus eis vocibus, quae in nominativo desinunt in *α* breve. Quid vero de eis statuamus in quarum stirpe *α*, iam vestustissimis temporibus producta, in Iade et Atthide in *η* transiit? nonne exspectamus *τιμᾱ-νς*, ion. = attice *τιμη-νς, τιμῆς*?

Qua quaestione ad primam quae vocatur declinationem universam (exceptis masculinis) diligentius contemplandam ducimur. —

Excursus de prima declinatione.

A vocalis in stirpe femininarum primae declinationis iam vetustissimis temporibus in eis vocibus producta est, quae in Saṃskṛta quoque lingua in â exeunt, velut in abstractis in jâ, graece *ιᾱ*, (*ἀνδρεία, σοφία*) multisque aliis in vocibus; corripitur in eis, quae in Skṛt. in î desinunt, unde in graeca lingua *jᾰ* factum est: *j* autem variis affectionibus valde obnoxium, saepius ita immutatum est, ut vix iam agnoscatur, velut

πότνια = ποτιν-jᾰ; ἡδεῖα = ἡδεϝ-jᾰ; πᾶσα = παντ-jᾰ μέλαινα = μελαν-jᾰ; ψύλλα = ψυλ-jᾰ; θάλασσα = θαλαχ-jᾰ θρῆσσα = θρηκ-jᾰ (terminationem tantum respicio); *μέλιττα = μελιτ-jᾰ; ῥίζα = ῥιδ-jᾰ; βασίλεια = βασιλεϝ-jᾰ.*

Iam vero in flectendis his vocibus id accidit, quo in quavis lingua latissime patere nemo fere est quin sciat, ut stirpes diversi generis ita confunderentur, ut aut illarum, aut harum analogia praevaleret: aut enim singulae voces e flexione in *ᾰ* in flexionem in *ᾱ* (*η*) transierunt et versa vice, aut in singulis quibusdam casibus omnes voces discrimine non iam facto uno eodemque modo flectebantur: illud in his vocibus, (ut pauca afferam exempla) accidit: antiquissimo graecae linguae statu *ἀληθειᾱ* (uti iam dixi, nunc solam terminationem curo), suffixo jâ: apud Homerum recte *ἀληθείη*; apud Atticos *ἀλήθεια*, cum

debuerint ἀληθεία: idem in εὔνοια εὔπλοια accidit; in εὔκλεία autem vel vetustiores scriptores Attici productionem servaverunt, recentiores dicebant εὔκλεια. In voce κνίττᾰ = κνιτ-jᾰ recte Attici corripiunt vocalem, apud Homerum exstat κνίσσῃ. — cf. Krüger I, § 6, 4. II, 2, 3 ff; Ribbeck p. 14. —

Alterum ut cognoscamus, tota declinatio et qualem exspectamus et qualis sit, describenda est:

	Suffixum.	**ante mutationem.**	**post mut. exspectamus.**	**formae quae extant.**
N.S.	—	μέλισσᾰ τιμᾱ́	μέλισσα τιμή	Stirpes recte seiunctae sunt.
V.S.	—	„ „	„ „	„ „[1]
Acc.S.	*m*, graece ν. Bopp I, 309 s.	μελισσᾰ-ν τιμᾱ-ν	μέλισσαν τιμήν	„ „
G.S.	ᾰς: Schleicher Comp. 451. Bopp I, 378.	μελισσᾰ-ᾰς = μελίσσᾱς τιμᾱ-ᾰς = τιμᾶς	μελίσσης τιμῆς	e linguae legibus eadem prodiit terminatio.
D.S.	αι (Skrt. e = âi)[2]	μελισσᾰ-αι = μελίσσᾳ τιμᾱ-αι = τιμᾷ	μελίσσῃ τιμῇ	„ „
N.(A.) D:	(â) ă, ε[3]	μελίσσᾰ-ε τιμᾱε	μελισσᾰε = μελίσσᾱ τιμῆε = τιμῆ	μελίσσᾱ (cf. προφανείσᾱ). τιμά (cf. Ἀτρείδᾱ). praevaluerunt stirpes in ᾰ.

[1]) Una vox νύμφη in vocativo habet ᾰ: Od. 4, 743. Il. 3, 130.

[2]) Vix quisquam Düntzero assentiatur, qui, ut in tertia declinatione sic hic quoque locativum pro dativo positum esse ratus ῃ et ᾳ ad supplendam *j* litteram (quae non evanuit, sed subscripta servata est!) et sic ῳ ex ο-ι ortum putat, p. 76.

[3]) Cf. supra p. 6: probabilius hoc videtur quam quod Boppius, nullo addito suffixo, ᾱ (et ω) productione stirpis prodiisse existimat.

G. D. D.: graece ιν[1])	μελισσᾰ-ιν τιμᾱ-ιν	μελίσσαιν τιμῆν	apud Hom. hae formae non exstant: apud Atticos praevalent stirpes in ᾰ.
N. Pl. ι, quod ex pronominum flexione huc intravit: Schleicher 443. L. Meyer (gedr. Verg.) 66. Düntzer 68.	μέλισσᾰ-ι τιμᾱ-ι	μέλισσαι τιμῄ	Stirpes in ᾰ praevaluerunt: τιμαί.
Acc. Pl.: νς.	μελισσᾰ-νς τιμᾱ-νς	μελισσανς μελίσσᾱς τιμήνς τιμής	Stirpes in ᾰ praevaluerunt.
G. Pl. sâm = ων. de hoc casu infra diligentius agetur.	μελισσᾰ-ων τιμᾱ-ων	μελισσάων τιμήων	Videtur hic quantitas vocalis ex stirpibus in ᾱ cum qualitate stirpium in ᾰ confluxisse.
D. (Local.) Pl.: svi, σσι, σι, (σ): Schleicher 466. Bopp I, 494. — (In Skrt. in stirpibus in ă ι interponitur, velut gateshu = gata-i-su; cf. ἱππο-ι-σι). —	μελισσᾰ-ι-σι τιμᾱ-σι	μελίσσαισι τιμῆσι	In ionico sermone utrumque ita in usu fuit, ut inter duo stirpium genera non iam recte

[1]) Quomodo hoc ex bhyâm prodierit, nondum satis constat: cf. Bopp. I, 420 ff., Schleicher 479, L. Meyer 63. — Indi in stirpibus in ᾰ

distingueretur: quamquam igitur in universum flexio in ᾱ praevaluit, tamen et illud ι plerumque ex altera flexione assumebatur et extant paucae formae in αις: ἀκταῖς Il. 12, 284 (cf. Etymol. Magn. s. h. v.); πάσαις Od. 22, 471.[1])

Apud Atticos, id quod ex titulis luculentissime apparet, terminationes αισι ῃσι ησι (ᾱσι) usque ad Ol. 91 in usu erant neque postea vestigia earum terminationum prorsus evanuerunt. Locativi enim velut Ἀθήνησι Περγασῆσι Πλαταιᾶσι, θύρᾱσι sensu tantum, non conformatione differunt a dativis (cf. Buttmann Gr. gr. § 116, Anm. 7; Hartung, „Ueber die Casus" etc. p. 261.)[2])

Tribus igitur in casibus inter duo stirpium genera recte distinctum est, in duobus terminationes secundum linguae leges confluxerunt, quater stirpes in ᾱ ob analogiam reliquarum qualitatem vocalis retinuerunt, bis et quantitatem quod attinet et qualitatem utraeque stirpes mutuae vi analogiae e finibus suis motae sunt. —

Iam revertamur unde ad hanc digressionem profecti sumus, ad quaestionem de accusativis in ᾱς. Quoniam enim de origine productionis dixi, iam videamus num haec terminatio interdum in Homeri carminibus corripiatur: quod, cum in dialecto dorica arcadica thessalica, rarius in aliis dialectis apud poetas, velut Hesiodum[3]) et Tyrtaeum[4]), pro —ας et ους (ως) ᾰς et ος inveniatur, a nonnullis apud Homerum quoque statuitur. —

---

interponunt, et sic apud Homerum quoque ἱππο-ι-ιν = ἵπποιιν, postea ἵπποιν: fortasse igitur exstitit μελισσα-ι-ιν, μελίσσαιιν et, si illud ι in stirpes in ᾱ intravit, τιμῇιν, quod L. Meyer p. 64 postulat: quae res, cum apud Homerum hae formae non inveniantur, diiudicari nequit.

[1]) Hoc Ribbeckius p. 15 mutandum esse censet, in πασέων opinor, quae var. lect. est apud Bekkerum. — θεαῖς Od. 5, 119 (contra θεῇσι Il. 3, 158 ubi vide Spitzn., 8, 305. 19, 286) alia de causa in argumentatione mea omittendum erat.

[2]) Fallitur igitur Meyer. cum dicit p. 98: „Bei den Grundformen auf ᾱ (1 Decl.) schützte das attische im Gegensatze zur hom. Sprache den reinen A-Laut auch im Diphthong und zeigt daher den Ausgang αις . . .

[3]) κούρας Theog. 60. μεταναιέτᾰς Theog. 402. τροπᾰ́ς Op. 564. 663. Ἁρπυίας Theog. 267. βοῦ λᾰς Theog. 534. 653. δεινᾰ́ς Op. 675. λαγός Scut. 302.

[4]) 4, 5 δημότᾰς ἄνδρας; 7, 1 δεσπότᾰς.

Sed primum Hesiodi Tyrtaeique dialectus non iam pura, sed vario modo infecta est neque quidquam ex talibus de usu Homerico concludi potest: deinde vero de ipsis locis qui huc vocantur, aliis quoque de causis aliter statuendum esse videbimus. —

Ut enim Zenodoti et Herodiani coniectura *προφανεῖσας*, de qua supra dictum est, omittatur, una vox *ἀγκὰς* restat quattuor locis:

Il. 5, 371: ... *μητρὸς ἑῆς· ἡ δ' ἀγκὰς ἐλάζετο θυγατέρα ἥν.*

Il. 14, 346: *ἦ ῥα καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν.*

Il. 14, 353: ... *ὕπνῳ καὶ φιλότητι δαμεὶς· ἔχε δ' ἀγκὰς ἄκοιτιν.*

Il. 24, 227: (*αὐτίκα γάρ με κατακτείνειεν Ἀχιλλεὺς*) *ἀγκὰς ἑλόντ' ἐμὸν υἱόν.* —

Hanc igitur formam *ἀγκὰς* Schol. L ad Il. 5, 371, Passow. in lexico, alii pro accusativo vocis cuiusdam *ἀγκὴ* acceperunt, cuius vestigia, nisi quod ab Heliod. 2, p. 113. 372 forma *ἀγκαὶ* commemoratur, nulla exstant, neque cum adverbio *ἄγκαθεν* sine ulla dubitatione ab eadem stirpe deducto talis vox conciliari potest, sed cum suffixum *θεν* ad ipsam stirpem accedere soleat, ad nominativum *ἀγκὴ* non *ἄγκᾰθεν* pertinet, sed exspectandum erat *ἄγκηθεν*, ut *ἀγορῆθεν, Μυκήνηθεν, εὐνῆθεν, κλισίηθεν, Σιδονίηθεν, Ἴδηθεν, Οἰχαλίηθεν, Θρήκηθεν, πρύμνηθεν, Αἰσύμηθεν.* [1]. —

Huc accedit quod accusativus tribus certe locis rei non satisfacit. Quomodo enim in verbis *ἀγκὰς ἔχε* accusativus intellegatur non video, neque magis quadrat is casus ad verba *ἐλάζετο* et *ἔμαρπτε*, quae non rapiendi, sed prehendendi vim habent, ut nostrum „ergreifen“ vel „packen“ (cf. Il. 2, 418. 21, 489. 14, 228). Quodsi quem casum hic quaerimus, sine dubio dativus ponendus erat, qui quarto quoque loco etsi hic non necessarius, tamen aptus est. —

Sed videamus quid alii de voce *ἀγκὰς* protulerint. Rursus

---

[1]) *ἄγκαθεν* casus est eius vocis, quae sensu „brachii“ praedi a exstat in Righveda, añkas: unde in graecum sermonem praeter unum illum casum nil transiit.

autem initium capiendum est a Schol. L ad Il. 5, 371 qui dicit: „τὸ ἀγκὰς λέγουσί τινες ἐπίρρημα ὡς τὸ ἑκάς“, deinde audiendus est Eustathius qui (ad Od. 13, 14) confert ἀνδρακὰς et ἐντυπάς. —

Iam cum facile intellegatur ἑκὰς[1]) et ἀνδρακὰς[2]) a voce ἀγκὰς in eo differre, quod in illis κ littera ad suffixum, hic ad stirpem (cf. ἀγκύλη etc.) pertinet, ad conformationem adverbii in -ἄς illustrandum sola restat vox ἐντυπάς, Il. 24, 163: hoc autem ἅπαξ εἰρημένον, de quo diversissimae sententiae a viris doctis prolatae sunt, tantis tenebris offusum est, ut inde ad vocem de qua agimus nil lucis afferatur: immo, ne id quidem satis constat utrum ἐντυπὰς adverbium sit necne.[3]) —

Itaque cum accusativum et formam quod attinet et sensum ferri non posse, adverbii autem conformationem in ας valde dubiam esse viderimus, quid, si dativum quem ubique sententiae aptum esse dixi, restituere conemur? Quod facillima opera fit, si pro ἀγκὰς ἀγκάσ' scribimus: ad quam sententiam stabiliendam pauca adiciam.

Primum enim vox ἀγκὰς, ἄδος, quamquam alias non exstat, tamen recte conformata esse et ex verbo ἀγκάζομαι (Il. 17, 722) quasi exspectari mihi videtur: cf. ἀκμὰς — ἀκμάζω, ψιὰς, ψιάζω, λαμπὰς, λαμπάζω, ἀσπὶς, ἀσπίζω, ἐλπὶς, ἐλπίζω. —

Sententiam deinde quod attinet, nescio an tali mutatione veterum indolem optime assecuti simus, qui non, ut nos dicimus, „sich in die Arme schlossen“, sed aut bracchia circumdabant alicui (χεῖρας περιβάλλειν, Od. 23, 207. 11, 211; cf. Theognis 265: ἔνθα μέσην περὶ παῖδα βαλὼν ἀγκῶν' ἐφίλησ ε δείρην), aut „lacertis aliquem complectebantur“ (περιλαμβάνειν, sc. χερσὶ: Xenoph. Anabas. 7, 4, 10; Conviv. 9, 4). — Ex latinis

[1]) = lat. secus; cf. Düntzer „Lehre v. d. lat. Wortbild. und Composit.“ p. 156.

[2]) Haec vox (Od. 13, 14; Aeschyl. Agamemn. 1595) nil aliud significat quam „viritim.“

[3]) Qui varias sententias de hac voce prolatas cognoscere cupit, videat Apollon. in Lex. 268; Schol. A. D. M. ad Il. 24, 163. Lobeck Pathol. elem. II. 313; Paralipp. I, 154 Not. Thiersch Gramm. § 166, 9 (p. 254); Düntzer in „Höfers Zeitschrift“ II, 1, 104. Döderlein III, p. 362 (§ 2496).

autem ad Il. 5, 371 cum aliquo fructu comparari puto Ovidium, qui in Metam. X, 403 de nutrice Myrrham etsi non vulnere, attamen amore sauciam consolante haec dicit: „orat ut ipsi indicet et gremio lacrimantem tollit anili atque ita complectens infirmis membra lacertis ... inquit": hoc est *ἀγκάσ' ἐλάζετο* illam, ut Venerem Dione; cf. praeterea Ovid. Amor. 3, 8, 11; Art. am. 2, 457; Metam. XI, 240; Vergil. Aen. VIII, 387. —

Denique *ι* litteram in dativo plurali elidi posse notum est: cf. Spitzn. Excurs. VII; Thiersch. Gr. § 164, 7 (p. 246), et e. c. Il. 6, 221. 16, 420. 452. 18, 505. 21, 208. Od. 13, 115. 17, 103. 19, 596.

Veteres autem saepius aut omnes aut nonnulli in duarum vocum commissura tali aut simili modo errasse constat, velut

Il. 24, 17 vulgo: *τόνδε δ' ἔασκεν:* var. lect. apud Schol. B. M *τὸν δὲ δέασκεν.*

Il. 9, 574 *τὸν δὲ λίσσοντο* Aristarch. (Schol. A), Venet., recentt.: *τὸν δ' ἐλίσσοντο* Vindobb., edd. vett.

Il. 16, 856 *Ἄϊδός δε βεβήκει* vulgo: *Ἄϊδός δ' ἐβεβήκει* Vindobb., Plutarch. de aud. poet. VI, 60.

Plura de augmento, quod Zenodotus quam maxime retinuit, Aristarchus sustulit, Düntzerus affert Zenod. p. 60.

Od. 3, 490: *ἔνθα δὲ νύκτ' ἄεσαν* Schol. H. Q vulgo: *ἔνθα δὲ νύκτα ἔσαν* Schol. Vind.

Il. 16, 515: *δύνασαι δὲ σὺ πάντοσ' ἀκούειν* Aristarch., vulgo: *δύνασαι δὲ σὺ παντὸς ἀκούειν* Zenodotus; cf. Schol. A. L, Lehrs Arist. p. 140, Düntz. Zenod. p. 70.

Il. 3, 347: *κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην* vulgo: *κατ' ἀσπίδα πάντοσε ἴσην* Venet., Eustath.: vide Spitznerum, qui plura hic affert.

Il. 11, 589: *Αἴανθ' ὅς* Aristonicus, vulgo: *Αἴαντος* Zenod.

Il. 11, 313: *ἀλλά γε* vulgo: *ἀλλ' ἄγε* Plutarch. „quomodo adul. poet. aud. deb." c. 11.

Quae cum ita sint, mutationem meam certe in audaciae vituperationem incursuram esse non arbitror.

2. *α* vocalis vi spirantium (*ϝ* et *j*) producta est.

a) De eis vocibus, ubi spirans erat post consonam.

Spirantes *ϝ* et *j* eo tempore quo graecae linguae dialecti ex communi omnium fonte in varios rivos discedere coeperunt,

nondum ex linguae usu evanuisse eo maxime apparet, quod in aliis dialectis alio modo tractatae sunt[1]), ita, ut (ubi non intactae manserunt aut nullo vestigio relicto eiectae sunt) aut cum vocalibus vicinis aut cum consonis coalescerent: hoc magis in aeolica dialecto, illud in ionica et attica factum esse constat: qua tamen in re multa sunt exempla quibus et ab Aeoliis spirantes nonnumquam cum vocalibus et ab Ionibus Atticisque cum consonis coniunctas esse demonstretur. In quibus non dialectorum confusio, sed duplex illa spirantes tractandi facultas, quae omnibus dialectis insita erat, agnoscitur. — His praemissis ad ipsam quaestionem accedamus.

α) *j*.

κᾱλός.

Adjectivum *καλὸς* apud Homerum semper *α* vocalem habere productam, in ceteris vocibus ab eadem stirpe deductis *λ* litteram geminatam satis constat neque opus est omnes hic enumerare locos, cum de quantitate vocalis *α* nusquam dubitetur.

Paullo aliter iam res se habet apud Hesiodum, ubi, quamquam longe plurimis locis *α* producitur, tamen hi traduntur versus:

Theog. 585: *αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τεῦξε καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο.*
Op. 63: *παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον* . . . .

Quos versus Hermannus propter quantitatem vocalis *α* hunc in modum mutavit (Orph. 817): „*αὖταρ ἐπεὶ τεῦξεν καλὸν κακὸν*", et „*καλὸν παρθένου εἶδος*" *κτέ*. — Sed, quae horum carminum condicio est, versus, in quibus ceteroquin nulla inest offensio, non ad epicum morem mutaverim, sed in eo ipso, quod antiquo mori repugnant, eos recentioris aetatis esse indicium deprehendi existimaverim: quo accedit quod Pandorae fabulam, in qua uterque versus exstat, certe in Oper. et Dieb. in vetustum Hesiodi carmen aliunde male insertam esse aliis causis satis firmis certisque demonstrari potest.

Quae ex lyricis poetis de quantitate vocalis collegi haec sunt: (tertia Bergkii editione usus sum)

---

[1]) Hartel III, 13. 31.

Callinus 2, 2 : ᾱ.
Archilochus 21, 3. 29, 2. 77, 1 : ᾱ.
Simonid. Amorg. 7, 51. 87 : ᾱ.
Tyrtaeus 4, 7; 10, 1. 30 : ᾱ.
Mimnerm. 5, 3. 11, 4 : ᾱ. (1, 6 ᾰ : sed locus aperte corruptus est.)
Solon 13, 24. 40 : ᾱ.
„ 13, 21 : ᾰ.
Phocylid. 13, 2 : ᾱ. (Psendophocylidea ut fas est omitto). —
Theognis 16. 242. 257. 609. 683. 1019. 1047. 1106. 1216. 1251. 1350. 1369. 1369 (sic). 1377 : ᾱ (quater decies).
idem 17. 17. 282. 652. 696. 960. 994. 1259. 1280. 1282. 1336 (vercus 1329 dubius est). ᾰ (undecies.)
Ananius 5, 2 : ᾰ.
Anacreon 22. 64, 10. 71 : ᾱ.
Oraculum apud Herod. 1, 66 : ᾱ.

Simonider Ceus in carmine attica vel ionica dialecto scripto:
147, 4 : ᾱ.
95, 1. 156, 1 bis : ᾰ.

Jon 1, 15 : ᾰ.
Critias 1, 14. 2, 19 : ᾰ.
Plato (?) 8, 1 : ᾱ.
Aeschrio 1. 4 (?) : ᾱ.
In Scoliis 19, 1. 2; 20, 1. 2 : ᾰ.

Apud Aeolios Doriosque vocalis iam multo prius correpta est: nisi forte rectius hic adjectivum fuisse *κάλλος*, geminationem autem posteriore aetate sublatam esse statuimus, cum Alcman (98) dixerit *κάλλα* pro *καλῶς*, Alcaeus (134) *κᾰλιον*, Sappho fortasse *κᾰλιστ'* 104, 2: certe in adjectivo vocalis quantum scio semper corripitur: Terpand. 6, 2. Alcman 35. Sappho 1, 9. 3, 1. 11, 2. 14, 1. 19, 3. 28, 1. 58. 101, 1. 2; 104, 1. — Erinna 6, 3. — Praxilla 5, 1; in Scolio 24, 2. — Simonides Ceus 5, 7. 37, 12. 40, 3. 70, 1. — Bacchyl. 1, 1. 25. —

Apud tragicos denique, quamquam plerumque vocalis corripitur, tamen nonnusquam vetus productio servata est: cf. Brunck. ad Soph. Philoct. 1285; Hermann. ibidem. —

In explicanda illa productione id quoque spectandum est, ut formis duplici λ scriptis lux afferatur: quod optime fit in

G. Curtii etymologia, qui Grundz. p. 134 collata voce Indica kalyas, gotica hails, radicem vocis *καλj* esse demonstravit: unde singulae formae aut assimilatione facta liquidam geminatam aut compensatione vocalem habent productam:

καλj
/ \
κᾱλ-ος [1]) κάλλ-ος
|
κᾰλὸς

ἑ α ν ό ς.

ἑανός apud Homerum substantivum est et adiectivum:

Il. 3, 385. 3, 419. 14, 178. 21, 507 substantivum est, *α* ubique correpto. —

Adiectivum est, producta vocali, in his versibus:

Il. 5, 734. — [8, 385, qui versus a Zenodoto et Aristophane cum duobus qui sequuntur eiectus est: vide Schol. A].

Il. 18, 352: *ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν*: hic enim *λιτὶ* substantivum esse, non *ἑανῷ* Buttmannus demonstravit in Lexilogo, II, 10. —

Il. 18, 613 *τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο*: ubi Herodianus (*περ. μον. λέξ.* 7, 31) scribere voluit *ἑανοῦ*. —

Il. 23, 254. —

Praeterea huc pertinet

Il. 16, 9 (*ἠΰτε κούρη ἥθ᾽ ἅμα μητρὶ θέουσ᾽ ἀνελέσθαι ἀνώγει*) *εἱᾰνοῦ ἁπτομένη*: hic quoque Herodianus voluit *αἰανοῦ*.

Denique ad voces, de quibus agitur, Buttmannus in lexilogo II, 14 refert Il. 14, 172: (*ἐλαίῳ*) *ἀμβροσίῳ ἑδανῷ* (= Hymn. in Ven. 63, ubi versus a Wolfio Hermanno aliis eicitur): quae verba Athenaeus XV, 688^{d} (III, 1533 Ddf.) sic citat: *ἀμβροσίῳ ἑανῷ*. —

---

[1]) Productionem vocalis quod attinet, monendum est, vi spirantium *j* et *ϝ* in aliis vocibus *ᾱ*, in aliis *αι* et *αυ*, interdum vel in eadem stirpe utrumque factum esse: unde vocalem et diphthongos tali modo ortas sonum non admodum diversum habuisse concludo.

Quod Pottius in Kuhns Ztschr. 6, 285 in nota radicem fuisse contendit *καρϝ* vocemque advocat Indicam câru, id verum non esse iam inde apparet, quod Ionibus tum *κηλός* dicendum erat.

Iam videamus de singulis. —

Ac primum quidem removeatur vox ἑδανὸς, quam minime cum reliquis cohaerere, sed ab eadem radice derivatam esse ex qua ἁνδάνω, ἡδὺς ἥδομαι, quae est svad (Curtius Grdz. 214), recte iam a Schol. A et V ad Il. 14, 172 exponitur [1]): sic Lobeckius quoque (pathol. 182) rem se habere dicit et ipse Buttmannus p. 15 ita esse posse concedit. Athenaei autem testimonium praeter Heynium quod sciam neminem ad scripturam testimoniis multo vetustioribus satis superque confirmatam immutandam commovit. —

Iam vero quaeritur de sensu atque origine vocum ἑᾰνὸς εἱᾰνὸς ἑᾱνὸς: in qua quaestione id primum tenendum est vocalem corripi in substantivo, in adjectivo produci: quod casu factum esse vix quisquam sibi persuadeat. Deinde vocem ἑᾰνὸς idem significare quod „πέπλος“ deductamque esse a verbo ἕννυμι (h. e. a radice verbi ἕννυμι) omnes fere viri docti Scholiastis V et D at Il. 14, 178 concedunt: de adjectivo autem iam veteres dubitaverunt utrum sit „ἐνδυτικὸς“ (sic Schol. B ad Il. 18, 352), an significet „λεπτόν“, „lentum“ (Schol. D ad Il. 14, 178; B l. l.): alteram hanc viam ingressi Buttmannus Lex. II, 12 ff et Passowius s. h. v. ἑᾱνὸς a verbo ἐάω deductum esse putant, ut proprie sit ἐανός [2]): alii, cum significatio „ἐνδυτικὸς“ ubique aptissima sit neque sensus, quem illi efficere student, cum verbo ἐάω conciliari possit, rectius utramque vocem ab eadem stirpe prodiisse existimant (Lobeck. pathol. 184. Döderl. 3, 221 (§ 2283); Curtius p. 351). —

Ut igitur in Skrt. vas-ăn-a-(m), sic in graeca lingua ex stirpe vas = ἑς ἑσ-ᾰν-ο-ς derivatum, inde aut compensatione quadam [3]) εἱανός, aut σ eiecto ἑανὸς ortum est: nisi forte ἑ in ἑανὸς ex εἰ, hoc est e ex ê, ut κᾰλός ex κᾱλὸς correptum esse rectius statuitur.

Quod autem Curtius l. l. adjectivum, ex Indica lingua vas-

---

[1]) In eo tantum veteres grammatici et hic et saepissime alias errant, quod voces non ab ipsa radice, sed ab alia voce aliis suffixis instructa deducunt.

[2]) Herodiani scriptura ἐανὸς, cum idem scripserit αἰανὸς, ad hanc sententiam adiuvandam afferri non debet.

[3]) cf. εἷμα — ἕσμα, et Brugmann. p. 129.

ân-as comparans, ut ἀ-μεν-ην-ὸς conformatam esse dicit, id verum esse mihi persuadere non possum, cum sic nulla causa, cur ᾱ servatum sit, perspiciatur: nisi quis ᾱ hic retentum esse putet quod in voce simillima ἑᾰνὸς A inerat, non E. Sed talem analogiae vim in singulis vocibus non tam facile concedemus quam in terminationibus declinationum et coniugationum, neque illa explicandi ratio ineunda est, nisi alia via nusquam apparet. Hic autem iam Döderleinius viam non improbabilem ingressus esse mihi videtur, cum adiectivum suffixo usitatissimo ja = jo a stirpe ἑς-ᾰν- deductum esse putavit: tum enim substantivum est ἑς-ᾰν-ός = ἑᾰνός, adjectivum ἑσ-ᾰν-jος = ἑᾱνὸς. Restat tamen difficultas quaedam in eo posita, quod suffixum ja accentum accipere non solet: cum enim in καλός illud j ad stirpem pertineat, non ad suffixum, praeter unam vocem δεξιός exempla eius pronuntiationis nunc mihi non adsunt. Quid autem nos impedit quominus antiquam et veram formam huius vocis ἕᾱνος fuisse putemus? quidni in hac voce, quae ex linguae usu iamdudum evanuerat, accentum a veteribus criticis ad duplicem analogiam et substantivi ἑανὸς[1]) et adjectivorum in νός falso in ultima positum esse dicamus, si alium postulat ratio? Si quis vero in accentu tantopere offendat, ut ea de causa totam hanc sententiam ferri posse neget, is in adjectivo agnoscat suffixum Ϝο, quod interdum accentum habet (e. c. in ἀμαυρὸς = ἀ-μαρ-Ϝός): sed uti dixi in accentu non satis causae videtur esse positum, quominus vocem suffixo multo usitatiore ja conformatam esse credamus.

ἱκάνω. κιχάνω.

In verbis ἱκάνω et κιχάνω α apud Homerum semper producitur. ἱκάνω his exstat in versibus:

Il. 1, 254. 431. 610. — 2, 17 [168]. 171. — 3, 97. 145. — 4, 210. 321. — 5, 780. 868. — 6, 237. — 9, 197. 11, 117. 610. — 13, 240. 464. 547. — 14, 230. 288. 298. 309. — 15, 151. 686. — 16, 52. 474. — 18,

[1]) Nemo hic me accuset inconstantiae quod tamen ad analogiam vocis ἑανὸς recurram: nam alia est et quasi naturalis analogia quae fit in lingua ipsa vivida, alia qua nituntur critici, cum de accentu in vocibus ut ita dicam emortuis recte collocando cogitant.

214. 369. 385. 424. 457. — 19, 3. — 21, 505. — 22, 147. — 23, 214.

Odyss. 1, 409. — 2, 41. — 3, 92. — 4, 29. 139. 322. — 5, 289. 445. 449. 457. — 6, 119. 136. 169. 191. 206. 7, 3. 24. 147. — 8, 74. 362. — 9, 332. 450. — 10, 99. — 11, 13. 160. 196. — 12, 73. — 13, 173. 200. 231. 278. 328. — 14, 159. — 15, 101. 216. 492. — 17, 28. 156. 255. — 18, 81. 217. 274. — 19, 49. 108. 304. 407. 432. 435. 532. — 20, 231. — 21, 209. 22, 99. 112. 231. — 23, 7. 27. 37. 93. 108. 318. — 24, 50. 172. 281. 328.

Haec productio etiam apud recentioris aetatis poetas servatur: e quibus exempli causa affero Batrachom. 46. Hymn. 1, 109. 218. 225. 377. 422; 2, 70. Solo. 13, 21. — Aeschyl. Agam. 1337. Soph. Electr. 8. — Pindar. Ol. III, 46 (= 43).

κιχάνω legitur: Il. 2, 18. — 3, 383. — 5, 334. — 10, 150. 11, 441. — 17, 189. 478. — 19, 166. — 22, 303. 436. — 23, 407.

Odyss. 8, 329. — 9, 296. — 10, 60. — 13, 228. — 14, 104. 15, 257. 260.

Sic etiam apud Archilochum 54, 3 *κιχάνει*; apud Atticos autem *α* in hoc verbo corripitur velut in Aeschyl. Choeph. 622 Ddf. — Soph. Oed. Col. 1450. Eurip. Alcest. 477. Hippol. 1444.

In ceteris verbis in *ανω* iam apud Homerum a breve est velut:

ἱζάνω Il. 10, 26 et alias saepissime.
ἁνδάνω Od. 2, 114 „ „
λανθάνω Od. 8, 532 et saepius.
ἰσχάνω Il. 14, 387. 17, 747.
τυγχάνω e. c. Od. 14, 231.
ληθάνω Odyss. 7, 221.
χανδάνω Il. 17, 344 et saepius.

Iam ut videamus, quanam de causa in illis verbis a productum sit, in his non sit, nonnullae formae adiciendae esse mihi videntur, quibus hauscio an lux quaedam afferatur rei propositae:

ἰσχᾰνόωντο Il. 12, 38. ἰσχανάᾳς Od. 15, 346.
ἰσχᾰνάασκον Il. 15, 723. ἰσχανάωνται Od. 7, 161.
ἰσχανάᾳ Il. 17, 572. ἰσχανόων Od. 8, 288.
δειχανόωντ' Od. 18, 111. — 24, 410.[1])

Quodsi has formas aspicimus, ad suffixum illud αν [2]) non solum suffixum a, sed etiam aja accedere vidimus, ita ut aut in eodem verbo (potius ab eadem radice) utraque forma inveniatur (ἰσχάνω, ἰσχανάω), aut solum „a" additum sit (ἁνδάνω ἱζάνω etc.), aut solum aja (δειχανάομαι).

Praeterea autem suffixa ja et va ad-αν accedere posse discimus ex. c. ex his verbis: χαλεπαίνω = χαλεπ-αν-jω; ἐλαύνω = ἐλα-ν-ϝω.

Itaque cum varia suffixa ad -αν addita esse constet, tale aliquid etiam in verbis ἱκάνω et κιχάνω videtur esse statuendum, ut has formas aut ex ἱκ-αν-jω, κιχ-αν-jω, aut ex ἱκανϝω, κιχάνϝω ortas esse putemus: ac prius illud probabilius est quod suffixum ja altero multo usitatius est neque certo quodam vestigio ad suff. va deducimur.

φθάνω.

Hoc verbum exstat

Il. 9, 506. — 21, 262: φθάνει. — Apud Atticos α semper corripitur.

Sed ne apud Homerum quidem productio ab omnibus conceditur, cum Aristarchum quidem φθάνει scripsisse tradant Schol. A et V ad H. 21, 262, Zenodotum vero φθᾰνέει dedisse eidem scholiastae affirment: atque hunc secuti sunt Heynius, Bekkerus in rec. edit. Heyn. (Jen. Literaturztg. 1809, IV, 137) Düntzer Zenod. p. 62; Aristarchum Wolfius Spitznerus, Bekkerus in editione, Curtius in Gramm. § 321 D, p. 158. Ribbeck p. 65.

Ex radice huius verbi, quam φθα esse [3]) e formis φθά-

[1]) μηχανάομαι et κοιρανέω ea de causa non attuli, quod non ex ipsa radice duplici suffixo, sed a substantivis μηχανὴ et κοίρανος deducta sunt, ut recte monuit (de μηχανάομαι) Lobeck. pathol. 184, not. 24.

[2]) Post consonas αν, post vocales plerumque ν.

[3]) Thiersch p. 405 (232, 154); Curtius Grdz. 656.

μενος, φθάν, φθήσομαι (cf. βάμενος βάν etc.) satis patet, suffixis (α)ν + α additis prodiit forma φθάνω, quae est apud Atticos: in ionica autem dialecto aliud suffixum ad αν accessisse videtur, aut aja, quo ducimur ad Zenodoti formam φθἄνέει, aut, quod mihi probabilius videtur cum sic Aristarchi auctoritas servetur neque desint analogiae, ja: hoc si statuimus, φθάνω ex φθάνjω ortum est simili modo quo βαίνω ex βανjω: in qua re id tantum discriminis est, quod j in verbo φθάνω aeque atque in ἱκάνω κιχάνω, καλὸς ἱκανὸς cum ᾰ non in αι coaluit sed in ᾱ: cf. p. 24 not.

Ceterum de his verbis Curtium eodem fere modo iudicasse ex eo concludo quod in Stud. II, p. 176 dicit „in solchen Fällen erklärt sich die Länge meist aus dem Vorhandensein später verlorener Consonanten, die eben bei Homer noch nachwirkten: z. B. καλός, ἀίσσω, ἠώς κιχάνω τίνω φθάνω.“ — Cf. Brugm. p. 98.

Si quis denique atticam vocem non aliis suffixis conformatam esse dicat quam homericam, sed, aeque ac κᾰλὸς ex κᾱλὸς, ex φθάνω correptam esse, non repugnaverim.

β) Ϝ.

ἄνομαι.

Verbum ἄνομαι hisce in versibus legitur:

Od. 2, 58: τὰ δὲ πολλὰ κατάνεται.
Od. 17, 537 „ „ „
Il. 10, 251 μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται [sic Venet. alii codd: ἄνυται Vindob.]
Od. 3, 496 ἦνον ὁδὸν.
Il. 18, 473 καὶ ἔργον ἄνοιτο.
cf. Aeschyl. Choeph. 799 Ddf. ἀνομένων.
Aristoph. Vesp. 369 ἄνοντος.

Iam de origine vocis quaerentibus nobis occurrunt scholiastae B ad Od. 2, 58, qui haec habet: „ἀπὸ τοῦ ἀνύω ἄνω, ῥῆμα“, et Q. B. ad Od. 3, 496. „ἀντὶ τοῦ ἤνυον“, idemque paullo accuratius profertur in breviario passion . a Bastio ad Gregor. (p. 677, § 8) edito: „συγκοπὴ γίνεται ἐν τῷ ἀνόμενος ἀντὶ τοῦ ἀνυόμενος“: cf. Buttmann. Lex. II, 269; Döderl. II, 176 (699) qui simili modo iudicant.

Habemus igitur ex radice ἀν cum suffixo va coniuncta (ἀνϝω) aut, ϝ littera in vocalem transeunte, ἀνύω, aut cum eis quae antecedunt litteris coalescente ἄνω. — (Cf. Brugmann p. 98.)

In forma ἄνοιτο autem, quam nolim cum Döderleinio in ἀνῦτο mutare, vocalis iam apud Homerum eam correptionem passa est, quam apud Atticos usitatam esse vidimus.

ἀδεές.

Il. 8, 423. 21, 481; Od. 19, 91 vox invenitur de qua iam veteres dubitabant utrum ἀδδεές scribenda esset an ἀδεὲς (quod Aristarchum voluisse schol. A ad Il. 8, 423 nos docet).

Praeterea vero iam apud Homerum exstat ἀδειής (Il. 17, 117), et apud Atticos in his vocibus vocalis corripitur velut ἄδειαν Soph. Oed. Col. 447.

Qua de re ut iudicare possimus, commemorandum est ante voces δέος δειλὸς δεινὸς δεῖμος δεισήνωρ δείδω breves syllabas semper fere produci: vide Hoffm. quaest. hom. I, 142 ubi exempla afferuntur. Praeterea autem formae comparandae sunt, quales sunt ἔδδεισεν Il. 21, 425. 22, 19. — ὑπέδδεισαν Il. 1, 406.

ὑποδδείσαντες Il. 18, 199. — 22, 282. Od. 10, 296. — 16, 425.

περιδδείσασα Il. 15, 123. περιδδείσαντες 23, 822.

Sed in eis quoque duabus formis, quas ultimo loco posui, Aristarchi discipulos simplicem δ litterem scripsisse Schol. A ad Il 15, 123 nobis tradit.

Quam productionem aut geminationem alii [1]) eo explicare studuerunt, ut post δ ϝ fuisse dicerent, alii [2]) j fuisse contenderunt: aut hoc aut illud ponendum esse inter omnes fere, qui

---

[1]) Thiersch p. 388 (§ 232, 46).
Buttmann, gr. Gr. § 7, not. 21.
Hoffmann Quaest. Hom. I, p. 142.
Benfey Wl. II, 224.
Leo Meyer Kuhn Z. 7, 195.
Fulda, Untersuchungen etc. p. 98. — Salterus in auctaria ad Dawesii misc. crit. p. 338 ἔδϝεισεν etc. vel in textu reponi iussit.

[2]) Curtius Grdp. 221. 607. — Hartel I, p. 14. — Ribb. p. 6.

his in rebus iudicare possunt, convenit. Utrum vero statuendum esset, pro certo diiudicari posse non videbatur, cum inscriptione quadam Corinthiaca initio huius anni reperta quaestio felicissime eo ad finem perducta est, quod notum illud nomen Δεινίας cum Ϝ, ΔϜ εινίας scriptum est: qua re motus ipse Curtius in Stud. VIII (in fine) priore sententia relicta post δ Ϝ fuisse concessit.

Restat tamen nobis quaestio, utrum productionem vocalis an geminationem consonae effectam esse statuamus.

Quae res eo diiudicatur quod ex certis causis physiologicis spirans post δ posita cum antecedenti vocali confluere nequit: liquida antecedente hoc potest fieri, post mutam spirantes aut servatae positionem efficiunt aut assimilatione facta cum consona confluunt aut denique vestigio non relicto evanescunt.

Itaque cum productio syllabae in voce ἀδεὲς in vocali posita non sit, proprie haec vox ad meam quaestionem non pertinet: putavi autem ea de causa hanc rem non esse neglegendam, quod quis ex scriptura ἀδεὲς α productum esse concludat. — Iam ut totam quaestionem absolvamus, de ipsa hac scriptura utrum accipienda sit videamus necne.

Aristarchus enim eiusque discipuli eam sibi regulam videntur constituisse, ut antecedente vocali ancipiti (α, ι; υ non occurrit) δ litteram simplicem, antecedente vocali brevi (ο, ε) δ duplicem scriberent: quos Bekkerus et Dindorf. secuti ἀδεὲς περιδείσασα etc. in textu reposuerunt et sic Buttmannus quoque scribi iussit in Lex. I, 170 not. Alii (Wolfius Spitznerus) in media voce semper geminam litteram δ scripserunt. Succurrit autem ad diiudicandam hanc rem aliqua ex parte ρ litterae analogia: ut enim ἄρρητος, καταρρέω, ἐπίρρημα, sed e. c. in Eurip. Hippol. 459 ἐπὶ ῥητοῖς (◡ – ◡ –) (cf. Monkii annotationem, in qua plura afferuntur exempla) scribitur, sic in eis quoque vocibus de quibus agimus δ littera in media voce duplex, in initio simplex ponenda esse mihi videtur.

Quod enim in his vocibus spirans post δ erat, in vocibus a ῥ littera incipientibus ante ρ, id ad nostram rem parum refert.

Geminationem antem δ litterae interdum iam in Homeri carminibus, semper apud Atticos sublatam esse is non mirabi-

tur, qui in vocibus ὅσσος ὁππότερος μέσσος multisque aliis idem factum esse secum reputaverit.

Hic mihi, priusquam hanc quaestionis partem relinquam, quam brevissime de voce quadam sententiam liceat proferre, qua, quamquam in Homeri carminibus non exstat, tamen hauscio an ea quae posui de ἑᾱνὸς et ἀδδεές aliqua ex parte confirmentur.

Dicturus enim sum de voce φαρμᾱκός, quae penultima syllaba producta apud Hipponactem legitur (5, 2. 6. 7, 2. 8, 2. 9, 1. 37, 3), apud posteriores velut Aristoph. Equit. 1405 α habet correptum: φάρμακον autem vel apud Hipponactem correpta penultima exstat (43, 4).

Hoc si tenemus et si vocem φαρμακός, qua proprie is significatur qui morte sua totius civitatis peccata lustrat[1]), principio adjectivum[2]) esse reputamus idemque valere quod apud latinos „veneficus" vel „magicus", tum huius vocis condicionem et adjectivi ἑᾱνὸς simillimam esse sentimus. Neque vero hic suffixum ja ad stirpem φαρμακ[3]) accessisse puto, cum ex φαρμακjος potius φαρμασσὸς prodire debuerit, sed va: φαρμακϝὸς autem non in φαρμᾱκὸς poterat transire, sed in φαρμακκός, ut ex πελεκϝάω πελεκκάω (Od. 5, 244), neque dubito quin ipse Hipponax sic pronuntiaverit, posteriores[4]) autem ad morem Atticorum φαρμακὸς ssribentes apud poetam productionem syllabae in vocali positam esse putaverint.

Quo accedit quod ne de accentu quidem satis constat, cum Eustath. 1195, 15 et Photius 640, 8. Iones φάρμακος, Atticos φαρμακὸς dixisse tradant: quidquid hoc est, si vera sunt quae de origine vocis posui, utramque pronuntiandi rationem ferri posse patet.

---

[1]) Cf. de hac re Hellad. apud. Phot. p. 640, Tzetzes Chil. V, 726.

[2]) Nam Istri hallucinationibus (fragm. 33) nemo opinor quicquam momenti tribuet.

[3]) Sic Benfey Wrzlex. I, 516. — Pictet in Kuhn Z. 5, 49 not. et Curt. Grdz. 281 φαρ radicem (cf. φέρω), μα+κο suffixa esse putant. Sed ob verbum φαρ μάσσω = φαρμακ-jω κ littera ad stirpem pertinere mihi videtur.

[4]) Debemus enim fragm. 37 Athenaeo, reliqua Tzetzae.

b. De eis vocibus in quibus spirans erat inter vocales.

Haec quaestionis particula difficultates multo maiores quam altera nobis praebet, et quod hic de spirantium vi in universum nondum satis inter omnes constat et quod in multis vocibus aliis quoque factis mutationibus perspicuitas rei valde imminuta est. Quare, ut variae sententiae quae de his vocibus prolatae sunt aut proferri possunt quam brevissime indicentur, pauca liceat afferre exempla, e quibus de multis similibus coniectura fieri possit. Videamus enim quid in vocibus *λαός νηός φάος* de origine formarum quae exstant apud Iones et Atticos cum aliqua probabilitate possit statui:

Antiquissimae formae erant *λαϝος ναϝος φαϝος*[1]):

Homerus habet	*λᾱός, ληός, λεώς; νηός; φᾱος, φάος, φόως.*
Hipponax:	*ληός*
Herodotus:	*ληός, λεώς; νηός.*
Attici:	*ληός, λεώς; νεώς.*[2]) *φάος* vel *φῶς.*

Homeri formas si perlustramus statim quaestio oritur, cur in *λᾱός* et *φᾱος* *ᾱ* exstet, in *νηὸς* *η*: cuius rei duplex causa potest excogitari. Aut enim in voce *ναϝος* *ϝ* iam eo tempore vocalem affecit, quo *ᾱ* vocalis nondum in *η* transierat, ut iam ante illum transitum vox fuerit *νᾱός*, postea *νηός*: aut *α* vocalis antequam spiranti affecta est, in *ε* transiit, hoc postea evanescente *ϝ* in *η* productum est. Hoc alterum autem si ponimus, iam id quaeritur utrum ex *νεϝος* duae formae prodierint, et priore vocali producta *νηὸς*, et altera, *νεὼς*, an hoc ex illo metathesi quantitatum ortum sit. Id autem priusquam diiudicemus, reliquas duas voces aspiciamus.

Hic enim, cum de origine formarum *λᾱὸς φᾱος* (*φάος*) dubitari nequeat, utrum vocem *ληὸς* ex *λᾱὸς* ita prodiisse putemus, ut *ᾱ* posteriore demum tempore, non iam e linguae lege, in *η* mutaretur — id quod in dialecto tam propensa in „e"

---

[1]) De singulis infra suo loco agam: ne quis vero formarum conspectum nimis miretur, meminerit apud Homerum esse *Ἀγέλεως; Λήϊτος*, apud Herodotum *λήιτον*, apud Atticos *λῃτουργεῖν* etc.

[2]) *ναὸς* (aeol *ναῦος*), quae forma apud Aeschylum nondum invenitur, a tragicis recentioribus ex dialecto dorica in Atthidem illata videtur.

vocalem interdum re vera factum est —, an iam vetustiore tempore praeter λαϝος alteram formam inde ortam λεϝος fuisse [1]), ex hac autem ληὸς prodiisse statuamus? Posteriorem autem quam posui rationem in explicanda forma φόως unice veram esse existimo, cum sive illa orta est ex φοϝος sive ex φωός, certe ad priorem vocis formam φοϝος ducamur [2]), quae ab eo quod postulavi λεϝος eo tantum differt, quod vocalis α ut saepissime non in ε sed in ο obscurata est.

Eae denique formae quae restant, λεώς νεὼς (φόως) aut ex λεϝος etc. ita ortae sunt ut non prior, sed altera vocalis spiranti afficeretur, aut ita explicandae sunt ut in λεϝος etc. primitus utramque vocalem productam, tum aut priorem aut alteram correptam esse putemus (cf. Delbrück in Curt. Stud. II, 193).

Quae quaestiones omnes ea de causa, quod in aliis vocibus haec, in aliis illa ratio videtur inita esse, praeterea autem de tempore quo singulae formae in usu fuerint diligenter quaerendum est, sic in universum diiudicari nequeunt: accedamus igitur ad singula.

α) ϝ.

Ἀ ΐ δ η ς.

Apud Homerum hae formae exstant:

genit. Ἄϊδος Il. 3, 322. 6, 284. 422. 7, 131. 11, 263. 14, 457. 20, 336. 22, 425. 24, 246. Od. 9, 524. 11, 150; 627. 23, 252:

praeterea autem Ἄϊδος Il. 13, 415. 24, 593. — Od. 10, 502. 11, 571. 635 (ubi schol. Η (ex Porsoni coniectura): „Ἀρίσταρχος ἐξ Ἀΐδεω".

Ἄϊδός δε Il. 5, 845. 7, 330. 16, 856. 20, 294. 22, 362. 23, 74. 137.

---

[1]) h. e. in λαϝος α vocalem impurum quendam sonitum inter α et ε positum habuisse, unde utraque forma, λᾱός et ληὸς prodire posset.

[2]) cf. Brugmann p. 157.

[3]) Quamquam enim nonnulli dubitant num altera quoque vocalis spirantium vi producatur, tamen in ο vocali antecedente ϝ hoc fieri posse a plerisque conceditur.

Sic etiam in omnibus reliquis formis apud Homerum α corripitur:

Ἅϊδι Il. 1, 3. — 5, 654. — 6, 487. — 11, 55. 445. — 16, 625. — 23, 244.

Ἀΐδης Il. 5, 395. — 9, 158. — 15, 188. 191.

Ἀΐδην Il. 9, 569.

Ἀΐδαο Il. 5, 646. — 8, 367. 368. — 9, 312. — 15, 251. — 21, 48. — 22, 52. 213. 389. 482. — 23, 19. 71. 76. 103 = 179.

Od. 4, 834. — 10, 175. 491. 564. — 11, 69. 164. 211. 425. 625. — 12, 21. 383. — 14, 156. 208. — 15, 350. — 20, 208. — 24, 204. 264.

Ἀΐδεω Il. 8, 16. — Od. 10, 512. — 12, 17. — 23, 322 (11, 635? cf. supra Ἄϊδος).

Ἀΐδῃ Od. 10, 534. — 11, 47.

Ἀϊδωνεὺς Il. 20, 61; Ἀϊδωνῆι Il. 5, 190.

Ex hymnis vetustioribus haec affero:

Ἀΐδῃ 4, 79. — Ἀΐδην 4, 337. — Ἀϊδωνεὺς 4, 358. 377.

Ἀΐδη 4, 348 (vocativus): sed locus est dubius (codex habet ἅδης).

Apud Hesiodum exstat Ἀΐδης Theog. 850.

Ἀΐδην Th. 455. — Ἀΐδαο Op. 153. — Ἀΐδεω Th. 311. 768.

Ἀϊδωνεὺς Th. 913 (Ἄϊδός δε Scut. 254).

Apud Simonid. Amorg.: Ἀΐδης 1, 14. 7, 117.

„ Tyrtaeum: Ἀΐδην 12, 38.

„ Mimn.: Ἀΐδην 2, 14.

„ Theogn.: Ἄϊδος 914.

Ἀΐδαο 244. 427. 905.

Ἀΐδεω 703. 726. 802. 1014. 1124.

Apud Aeolios Doriosque vocalis corripitur e. c.

Sapph. 68, 3. — Erinn. 3, 1. 5, 2. 6, 23. — Stesich. 50, 3.

Denique iam hic mentio fiat adjectivorum

ἀΐδηλος (e. c. Il. 8, 309).

ἀϊδνὸς Hesiod. Th. 860.

ἀΐδελος Hes. fragm. 96 Göttl. (sic Tzetz. ad Lycophr. 344.

Eudokia p. 375. 391; ἀείδελος Etym. Magn.; Buttm. Lex. 1, 251).

ἀΐδής (Hes.) Scut. 477. — Bacchyl. 46.

Nomen Ἀίδης, aeque atque adjectiva quae posui, ex α privativo et stirpe verbi ἰδεῖν compositum esse, ut proprie significet τὸν ἀφανῆ sive ἄϊδηλον omnes fere viri docti concedunt[1]) ipsumque Sophoclem assentientem habemus, qui, quamquam non de Plutone, tamen de Proserpina dicit in Oed. Col. 1553: εἰ θέμις ἐστί μοι, τὰν ἀφανῆ θεὸν (καὶ σὲ λιταῖς σεβίζειν, ἐννυχίων ἄναξ Ἀϊδωνεῦ).

Itaque cum radicem ἰδ olim a ϝ littera incepisse cum aliis testimoniis (Hesych: αὐιδέτου ἀφανοῦς ἀοράτου; βίδεοι vel βίδυοι = ἴδυοι, magistratus Lacedaemoniorum cf. Ahrens p. 47), tum ex multis vestigiis quae in ipsis Homeri carminibus exstant (Hoffmann II, p. 25) satis constet, habemus Ἀ-ϝιδ-ς[2]), gen. Ἀ-ϝιδος; Ἀϝίδης, inde Ἄϊδος, Ἀίδης, posteriore tempore correpta vocali Ἀίδης etc.

Cur autem productio in forma Ἄϊδος maxime resederit, id in re non iam certae legi sed casui obnoxia difficile dictu est: videtur tamen „δόμον Ἄϊδος εἴσω" vetusta esse formula, quae nisi servata productione vocalis α retineri non poterat. — Quidquid hoc est, in forma Ἄϊδος (etiam in Ἀίδης apud Simonid. Amorg.?) vetus productio e linguae lege ϝ littera effecta agnoscenda est. —

ἀ ἱ ω.

Tribus in versibus haec vox α vocali producta exstat:

Il. 10, 532 : ἄιε.

Il. 21, 388 : ἄιε.

Il. 15, 252 : ἄιον quod nonnulli non recte interpretantur „ἀπέπνευσα τὴν ψυχὴν" (Schol. D; Lobeck. Elem. pathol. II, 8): verum iam exstat apud eundem Scholiastam („ἀντὶ τοῦ ἐπῃσθόμην"), quamquam locum male

---

[1]) cf. Lobeck pathol. elem. II, 125; Döderl. II, 4 (407); Thiersch p. 281 (§ 181, 46a); Curtius Grdz. 227.

[2]) De conformatione vocis cf. Scholia ad Il. 1, 3. — Cur cum Döderleinio et Iustio (über die Zusammensetzung d. Nomina etc.) p. 36. Ἄϊδος ex Ἀν-ϝιδος ortum putemus, non perspicio.

intellexit, et in Schol. A: cf. Spitzn. in comment. ad h. l.; Toll in excurs. ad Apoll. Lex. 753; Lehrs Aristarch. 147, Döderl. III, 10. (1016).

Reliquis locis ubi hoc verbum legitur, α breve est: velut ἄιεν Il. 11, 463. — ἄιον Il. 18, 222. — ἀίων Il. 15, 378. ἀίουσα Il. 23, 199. Od. 24, 48. ἀίοντες Od. 9, 401. 10, 118. ἀίεις Od. 18, 11.
cf. Xenophan. 5, 5 ἀίων (Sappho 1, 6 ἀίοισα).

Apud tragicos, qui in dialogis hac voce abstinent[1]), α interdum producitur (velut Eurip. Troad. 155 ἄιον).

Cum huius verbi radicem αϝ esse et ex lingua latina (au-dio), gotica (au-so), et ex dialecto aeolica (αὔατα = οὔατα: cf. Hinr. p. 25) aliisque vestigiis certissimis (Curtius Grdz. p. 360) satis constet, quin productio vocalis α in tribus illis formis spirantis vi effecta, posteriore autem tempore magis magisque sublata sit, dubitari non potest. De augmento enim ea de causa cogitari nequit, quod forma ἄϝιε augmento instructa est ἤιε, ut apud Herodotum 9, 93 legitur ἐπήισεν.

Ἄ (ημι) etc.

Ex multis vocibus ab hac stirpe deductis primum eas hic apponam, quae aperte flandi vel spirandi significationem habent, deinde de nonullis quas ad eandem stirpem referendas esse alii contendunt, alii negant, sententiam exponam.

Adjectiva in ᾱής:
ὑπερᾱέι Il. 11, 297.
δυσᾱής Od. 5, 295. δυσᾱέος Il. 5, 865. 23, 200. Od. 12, 289. δυσᾱήων Od. 13, 99.
ἀλιᾱέες Od. 4, 361.
ζᾱῆν Od. 12, 313[2]).
ἀκρᾱέι Βορέῃ Od. 14, 253. 299:

[1]) Versus Sophocl. Oed. Col. 304 ab Hirzelio in Mus. Rhen. 18, 306 seclusus est, assentiente Dindorfio.

Versum Hesiodi Op. 213, cum de scriptura non constet, supra omisi.

[2]) Ne acta agam remitto lectorem ad Thiersch. 302 (§ 193, 35), Lehrs quaest. epic. p. 154, Hinrichs. p. 106. — Ceterum ex hac voce, si ceterae deessent, α spiranti productum esse concludi non poterat, cum etiam ex ζα-αης ζᾱής prodire deberet. — Quod vero Düntzerus

utrum hoc significet „τὸν ἄκρως ἀέντα“ an „τὸν μὴ κεκραμένον ἑτέροις ἀνέμοις“ iam veteres dubitabant (Schol. B. H. Q.: miscetur utrumque in V: „ἄκρως πνέοντι καθαρῶς“), neque certi quicquam ex Hesychii glossa „ἀκραέα· οὔριον“ efficitur. Priorem autem explicationem, quam Passowius amplexus est, cum usu vocis ἄκρος, quae apud Homerum numquam „vehemens“ est, sed „summus“, conciliari non posse recte iam vidit Döderleinius I, 2 (§ 3), ipse interpretans: „der nur die Oberfläche des Meeres bewegt“: quod cum mihi magis placeat quam illud „καθαρῶς πνέοντι“, hanc vocem in ceteris ponere non dubitavi.

cf. Hesiod. Op. 599: εὐᾶεῖ vel εὐᾱέι (sic Spitznerus).

Ipsum verbum ἄημι non invenitur apud Homerum nisi correpta vocali α: e. c. ἄητο Il. 9, 5. 21, 381. — ἀήμεναι Il. 23, 214.

ἀήμενος Od. 6, 131. ἀῆναι Od. 10, 25. ἀέντων Od. 5, 478. διάει Od. 5, 478.

Sic etiam substantivum ἀήτης α breve habet:

Od. 4, 567. 9, 139 et saepius (ἀήτη Hesiod. Op. 631. 645. 675; ἄητα more aeolico Simonid. Ceus 41, 1).

Denique hic pono verbum ἀΐσθω (Il. 16, 468: θυμὸν ἀΐσθων; Il. 20, 402 θυμὸν ἄισθεν), quod a Lobeckio (Elem. pathol. II, 8), Curtio Grdz. 360, aliis recte cum ceteris quas attuli et cum voce ἆσθμα (Il. 15, 240) iungitur. (Falsa profert de verbo ἀΐσθειν Döderl. II, 295, falsa quoque Lobeck. paralipp. I, 75 de accente vocis ἆσθμα).

Praeterea vox ἀήρ, in qua mira quaedam inconstantia apud Homerum annotanda est, huc pertinet. Quamquam enim in nominativo semper ᾱ exstat (Il. 5, 864. Od. 7, 143. 9, 144), in casibus obliquis invenimus vocalem η: ἠέρος e. c. Il. 14, 228. ἠέρι Il. 17, 368. ἠέρα Il. 8, 50 et saepius, idemque accidit in adjectivis compositis velut ἠεροειδής, ἠεροφοῖτις. Quae inconstantia apud Hippocratem eo sublata est, quod is vel nominativo ἠήρ utitur (p. 453, 43. 454, 23).

Attici autem in hac voce semper α vocali ubique producta (cf. Herm. ad Soph. Electr. 87; Trach. 835) usi sunt.

Kuhn Z. 14, 207 hoc adjectivum a stirpe de qua agimus seiungendum esse et ad vocem ζάλη pertinere contendit, in eo vereor ne neminem assentientem nactus sit.

Postremo denique loco nominata esto vox ἄελλα, (e. c. Il. 11, 297), de qua cf. Döderl. I, 9, § 10, qui in eo tantum errat quod priorem formam statuit ἀϝεράλη, cum sit ἀϝελjα, et Curt. Grdz. p. 361.

Iam cum propter formas aeolicas αὔηρ, ἄυελλα (Alc. 125), doricam ἄβηρ ipsasque voces homericas αὔρη (Od. 4, 469) αὐλή αὐλὸς οὖρος (cf. Curt. l. l.) quin radix omnium illarum vocum αϝ sit dubitari nequeat, α vocalis et in eis formis ubi producta est, aptam habet explicationem et ubi corripitur, antiquiore tempore producta fuisse putanda est: maximi autem momenti illud δυσᾱήων Od. 13, 99 mihi videtur esse, quod nescio quo alio modo intellegatur quam ut hic utramque vocalem spirantis vi affectam esse existimemus.

Quid vero de mira illa voce ἀήρ statuamus? Difficilis sane haec quaestio est, quam vereor ut pro certo diiudicare possim: aut enim hyperionismum quendam hic agnoscamus necesse est putemusque in casibus obliquis postquam spirans evanuit aeque atque in nominativo fuisse ᾱ, hoc deinde posteriore tempore in η transiisse, in nominativo autem fortasse ob euphoniam, quod η sequitur, remansisse, aut iam antequam ϝ evanuerit $\frac{α}{ε}$ϝερ pronuntiatum esse, unde duae stirpes ἀερ- et ἠερ prodierint: quae ratio eo fortasse paullo confirmatur, quod α vocalem etiam in ο obscuratam esse ex voce οὖρος = ὄϝρος concludi potest. — Certi tamen, ut dixi, hac de re nihil statuam.

ἀίσσω etc.

In verbo ἀίσσω et simplici et composito et in adjectivis ab eadem stirpe deductis α producitur:

Il. 1, 165. 584. — 2, 146. 167. 310. — 3, 216. 369. — 4, 74. 114. — 5, 81. 98. 323. 584. 811. 854. — 6, 232. 510. — 7, 19. — 10, 348. — 11, 361. 417. 423. 484. 553. — 12, 145. 148. 191. 308. — 13, 513. 546 — 14, 225. — 15, 6. 150. 267. 580. 694. 709. — 16, 398. — 17, 293. 460. 462. 579. 662. 726. 734. — 18, 159. 212. — 19, 114. — 20, 328. 401. 414. — 21, 234. 303. 564. — 22, 132. 142. 187. 195. — 23, 64. 369. 628. 733. 773. — 24, 97. 121. 320.

440. 621. 711. — Od. 1, 102. 410. — 8, 186. 361. — 9, 288. — 10, 117. 295. 495. — 11, 314. — 13, 197. — 17, 236. — 19, 31. 177. 451. — 20, 11. — 21, 119. 300. — 22, 90. 98. 187. 240. 337. 342. 365. — 24, 488.

Quod autem in Etym. M. 43, 1 contenditur: „*ἀίσσω ὁ ποιητὴς πάντοτε μακρὸν ἔχει*“, id (si quidem non solum de simplici verbo cogitatur), verum non est, cum Il. 21, 126 forma *ὑπᾰίξει* α vocali correpta tradatur, quam a Porphyrio sic retentam esse schol. B nos docet: nam Aristarchum dedisse *ἐπαίξει*, Philetam et Callimachum *ὑπαλύξει* e scholiis B V. A discimus. — Sed cum Aristarchi forma a tradita in nostra quaestione nil differat, *ὑπαλύξει* autem sententiam si spectamus multo minus aptum sit quam compositum verbi *ἀίσσω*, hoc uno loco apud Homerum α in hac stirpe corripi statuendum est.

Apud Hesiodum *ἀίσσοντο* legitur theog. 150 = 671; Pindarus autem et tragici, hi ubi non contracta forma *ᾄσσω* usi sunt, α vocalem semper fere corripiunt, quod etiam apud Simonid. Ceum 23, 2 in forma *παρᾰιξαν* factum est.

De origine huius stirpis iam Lobeckius Elem. path. II, 8, cum *ἀίσσω* a radice verbi *ἄημι* deductum esse dicit, recte videtur iudicasse.[1]) Quod si ponimus, stirps erat *ἀϝ-ικ*, unde adjectivum *πολυ-αϝικ-ς* = *πολυᾶιξ*, verbum *ἀϝικ-jω* = *ἀίσσω*, *ᾄσσω*, *ἀίσσω* derivata sunt.

ἄεσα.

Od. 3, 151: *νύκτα μὲν ἀέσαμεν χαλεπὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντες.*[2])

Od. 19, 342 (*ἀεικελίῳ ἐνὶ κοίτῃ*): *ἄεσα καὶ ἀνέμεινα ἐΰθρονον Ἠῶ δῖαν.*

Od. 3, 490. 15, 188: *ἔνθα δὲ νύκτ' ἄεσαν.*[3])

---

[1]) Significationem quod attinet, cf. Il. 6, 509: „*ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀίσσονται*“, Sophocl. Oed. Col. 1260 f.: „*κρατὶ δ' ὀμματοστερεῖ κόμη δι' αὔρας ἀκτένιστος ᾄσσεται*“; praeterea conferri potest nostrum verbum „stürmen“.

[2]) v. l. apud Schol. E H M Q R *ἐλάσαμεν* sententiae non satisfacit.

[3]) cf. supra p. 21.

Od. 15, 40: ἔνθα δὲ νύκτ' ἀέσαι.

Od. 16, 367: οὔποτ' ἐπ' ἠπείρου νύκτ' ἄσαμεν, ἀλλ' ἐνὶ πόντῳ νηῒ θοῇ πλείοντες ἐμίμνομεν Ἠῶ δῖαν.

Hanc vocem cum ubique dormiendi sensu posita esse videretur, Lobeckius et Curtius (Kuhn. Z. 1, 29. Grdz. 361) ad eandem radicem αϝ quam in ἄημι etc. agnoscimus pertinere putaverunt, quae iam Porphyrii (schol. E HMQ ad Od. 3, 151) et Eustathii (ad Od. 19, 342) erat sententia: quamquam in eo paullum differunt, quod veteres, cum interpretentur „ἀπέπνευσα", magis de quiescendo vel respirando, quod nos dicimus „verschnaufen" illi de ipso dormientis spiritu videntur cogitasse.

Quam rationem veram esse Leo Meyer in Kuhn. Z. 22, 530 ff. ea de causa negavit, quod in voce ἄεσα omnino non dormiendi, sed quiescendi, potius manendi significatio inesset: maxime hoc apparere in versu Od. 3, 151, sed etiam reliquis locis de dormiendo vix apte posse cogitari: radicem igitur non αϝ esse, sed vas (= habitare: cf. ἄστυ), α auctam prostethico, α-ϝες.

Nescio tamen an eadem significatio, quam Meyerus rectissime mihi perspexisse videtur, etiam cum radice ἀϝ ita possit conciliari, ut in hoc verbo proprie respirandi vim fuisse putemus (cf. supra).

Quidquid vero statuitur, cum utraque ratione ad vetustiorem formam ἄϝεσα ducamur, α vocalem spiranti productam esse patet: quod enim Meyerus p. 530 de augmento cogitat, id hic non magis ferri potest quam in voce ἀίω.

δ ᾱ λ ό ς.

Adjectivum δᾱλὸς, α ubique producto, hisce locis exstat:

Il. 13, 320: δαλόν.

„ 15, 421: δαλός.

Od. 5, 488: δαλόν.

„ 19, 69: δαλῷ. cf. Hymn. 4, 20 δαλόν; Hesiod. Op. 705 δαλοῦ.

Posterioribus temporibus formam δαυλὸς apud Iones in usu fuisse nobis tradit schol. V ad Il. 15, 421, ad quod testimonium conferendae sunt glossae Hesychii δαῦλον, ἡμίφλεκτον ξύλον. — δαβελὸς· δαλὸς. Λάκωνες.

Quibus indiciis omnibus eo perducimur, ut pristinam formam adjectivi δαλὸς δαϝελὸς fuisse, inde primum δαελὸς (quod exstat apud Sophron. in Etymol. Mgn.) deinde contractione δαλὸς factum esse putemus. Quod autem Iones posteriore aetate δαυλὸς dixerunt, id iudicium esse existimavi α non demum contractione, sed iam ϝ spiranti productum esse et sonitum quendam obscurum inter ᾱ et αυ positum habuisse, qui etiam post contractionem factam restiterit.

In δαϝελος autem, cum ελος suffixum sit, ea radix conspicitur, ad quam referendae sunt Hesychii glossae: „δεδαυμένον· περιπεφλεγμένον ξύλον", „δαβεῖ· καυθῇ. Λάκωνες", et ex Etymol. Magn. δαύω· τὸ καίω παρὰ Σιμωνίδῃ. μηρίων δεδαυμένων" (cf. fragm. Sim. Amorg. 30 Bgk, S. Cei CXXXV Schneidewin): unde etiam verbum δαίω suffixo ja deductum est, sc. δαϝ (cf. Curtium Grdz. 217. Savelsberg de digamm. p. 20, 22). — Falluntur igitur ei qui δαλὸς ab ipso verbo δαίω derivatum esse contendunt (Passow. in lex. „gleichsam δαιελὸς" et Lobeck Elem. pathol. II, 36).

κ ᾶ λ ο ν.

Vocem κᾶλον quamquam apud Homerum non invenitur, tamen propter necessitudinem, quae inter eam et vocem modo tractatam intercedit, non neglegendam esse existimavi. Bis eam inveni:

Hes. Op. 427 πόλλ' ἔπι καμπύλα κᾶλα

Hymn. 2, 212 πολλὰ δὲ κάγκανα κᾶλα.

Pertinet enim κᾶλον ad radicem καϝ, ut δᾶλὸς ad δαϝ (cf. ἔκαυσα, καίω = κάϝjω): accentus autem, quem in his vocibus diversum esse me non fugit, in κᾶλον non satis constat, cum in Heschii glossa (s. v. καλα) vox „παροξυτόνως" aperte sensu careat, quamquam dubitari potest, utrum hic auctoris, an librariorum vitium agnoscendum sit.

Ac mihi quidem verus et antiquus accentus in ultima fuisse, posteriore autem aetate ea de causa a grammaticis in antepenultima positus videtur, quod in voce κῆλον, quae eadem fere esse putabatur, suo iure in antepenultima est: hanc vocem autem a radice καϝ deductam esse (quod vult Joh. Schmidt z. Geschichte d. indg. Voc. II, 216), Curtius Grundz. 142, ut iam

ante eum L. Meyer. in Kuhn. Z. 14, 91, causis satis firmis nisus negavit.

δ ᾱ ν ό ς.

Od. 15, 322 legimus: „διὰ δὲ ξύλα δανὰ κεάσσαι“: ubi nullius fere momenti est, quod in parte librorum πολλὰ fuisse ex Eustathio discimus. Eiusdem autem verbis „ξηρὰ καὶ ἐπιτήδεια εἰς τὸ δαίεσθαι“ ad verbum δαίεσθαι perducimur et succurrit Hesychius qui exhibet:

δαεινόν· καύσιμον (sic Lobeck path. el. 107, H. Steph. sec.: vulg. κλαύσιμον.

δαϊνόν· πυκνὸν καύσιμον.[1])

Simplicissimum igitur videtur, ut ex radice δαϝ cum suffixo -ινος, δαϝινος, δᾱινος, δᾱνός ortum esse putemus ideoque vocem huc rettuli: cum vero mirum sit, quod ex δᾱϊνός non potius δαινος vel δᾳνὸς prodierit neque analogiae quibus formam δανὸς defendam nunc mihi adsint[2]), nescio an ι subscriptum grammaticorum incuria in voce quae tam raro invenitur omissum Homero restituendum sit.

Β ο υ γ ά ι ε.

Il. 13, 824 Hector Aiaci se victurum esse minanti hisce verbis respondet:

Αἶαν ἁμαρτοεπὲς βουγάιε, ποῖον ἔειπες.

Od. 19, 79 Irus qui Ulyxem insolenter in pugnam vocavit, cum illum autem fortiter se gerentem viderit in summam trepidationem incidit, his verbis ab Antinoo illuditur:

νῦν μὲν μήτ' εἴης, βουγάιε, μήτε γένοιο,
εἰ δὴ τοῦτόν γε τρομέεις.

Quibus locis vocativus βουγάιε interpretibus cum veteribus tum recentioribus magnum exhibuit negotium: quamquam enim

---

[1]) Maur. Schmidt, praeceptor optimus, scripsit: δαεινόν· κλαύσιμον cum codd., sed ἀδινὸν· πυκνόν: quae mutationes neque necessariae mihi videntur et nimis violentae, cum ne litterarum quidem ordo servatus sit. Quid tamen illud πυκνὸν sibi velit, fateor me nescire et cogitavi num scribendum sit δαϊνὸν· πεύκινον καύσιμον.

[2]) Nam in verbis κάω, κλάω res alia est, sc. καϝjω, καjω: 1) καίω. 2) κάω.

de forma vocis, cum Zenodotum, quem nimia Iadis affectatione — cuius exempla plura occurrent — *βουγήιε* scripsisse tradit schol. A ad Il. 13, 824, nemo secutus sit, de forma vocis in universum constat, tamen quid hac voce significetur adhuc dubium est. Tres autem maxime sententiae prolatae sunt:

Primum enim sunt qui explicent „*ὁ ἐπὶ βοΐ ἤτοι ἀσπίδι γαίων*" (sic fere Eustath.; schol. B ad l. Il., BHQ ad Od. l.).

Ab aliis *βουγάιε* accipitur pro composito ex vocibus *βοῦς* et *γαῖος* (cf. Hesych. *γαῖος· ὁ ἐργάτης βοῦς*; Curt. Grdz. 436) = *ὁ ἐργάτης βοῦς*, aut „*διὰ τὴν ἀναισθησίαν*" (Eustath.; Apoll. Lex. 195) aut „*διὰ τὸ δυςκίνητον*" (schol. AL ad l. Il.).

Denique sunt qui interpretentur *μεγάλως ἐπαιρόμενε, μεγάλως γαυριῶν* vel simili modo: Schol. V ad l. Od., Apoll. l. l.

E recentioribus Lobeckius in pathol. Elem. I, 203 iandudum de huius vocis origine quaerere se destitisse fatetur, de successu desperantem: Döderleinius I, 80 (§ 117) primum quam attuli sententiam amplexus interpretatur „stolzer Schildführer", quo addit „Der Dichter der Odyssee verallgemeinert diesen Begriff, lässt die Beziehung auf Ajax und den Schild fallen und behält nur den Begriff des prahlerischen Stolzes": qua explicatione simplicitate non sane commendata multo probabilius illa tertia videtur: malim autem cum Passowio interpretari „grossprahlend, auf ungeheure Kräfte trotzend" [1]), quam cum Spitznero „stolide glorians", cum Graeci quantum quidem scio, vetustiore maxime aetate bovem in animalibus stoliditate eximia praeditis non numeraverint neque homines propter stoliditatem sic appellare consuerint.[2])

---

[1]) cf. Apollon. l. l.; Suidas s. v. *βουλιμιᾷ*.

[2]) Quod Eustathius dicit: „*ὅτι δὲ καὶ εἰς ἀναισθησίας σκῶμμα λαμβάνεται ὁ βοῦς, δηλοῖ καὶ ὁ παρὰ Μενάνδρῳ βοΐδης, ὅ ἐστι πρᾶος, εὐήθης*", contra sententiam meam afferri non potest: primum enim Menandri usus loquendi Homericis temporibus sic temere tribui non debet, deinde ne sententia quidem qualem desideramus in voce *βουγάιε* cum Menandrea „*πρᾶος*" conciliari potest. Si denique vel posteriore tempore bovem ob stoliditatem nominare soliti essent veteres, Eustathius ad stabiliendam sententiam vix certum aliquem locum attulisset.

Ceterum sive Döderl. sequimur sive eam viam quam ego praetuli ingredimur, dummodo altera illa scholiastarum explicatio, quae sensu caret, reiciatur, in altera vocis parte radicem *γαϝ*, quam noscimus e. g. ex lat. gaudeo, ex graeco *γαῦρος* aliisque indiciis firmissimis (Curt. Grdz. 163), conspici constat: ex qua conformatum est *βουγάϝιος*, quod posteriore tempore in *βουγάϊος* transiit.

ἀ ε ί δ ω.

In verbo *ἀείδω* α apud Homerum corripitur, excepto uno loco: legimus enim

Od. 17, 519 (518: *ὡς δ' ὅτ' ἀοιδὸν ἀνὴρ ποτιδέρκεται,*
ὅστε θεῶν ἐξ ἀείδει δεδαὼς ἔπε' ἱμερόεντα βρότοισιν,
(*τοῦ δ' ἄμοτον μεμάασιν ἀκούομεν ὅπποτ' ἀείδῃ*).

Idem in prooemio parvae Iliadis (*"Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην κλυτόπωλον"*) et saepius in hymnis accidit (11, 1. 17, 1. 27, 1. 32, 1).

In lyricorum fragmentis, nisi quod semel apud Theognidem (v. 4) inveni *ᾱείσω* — ipse novies formas correptas habet — a vocalis brevis est.[1])

Cum in stirpe vocis *ϝ* fuisse et e linguis cognatis et e formis boeoticis *ἀϝυδὸς κωμαϝυδὸς κιθαραϝυδός* (Ahrens d. dial. aeol. 171; Corp. J. I. 1583)[2]), laconicis *ἀβοιδὼρ* et *ἀβηδόνα* (Hesych.) satis constet, radicem statuemus vad (Curt. Grdz. 232 ff.) eamque *α* prosthetico, quod ante voces a *ϝ* littera incipientes saepissime accedit (cf. Curt. Grdz. 527 f.), auctam esse putabimus. In ipsa radice autem *α* in *ε*, inde in *ι* videtur transiisse; illius vestigium in voce *ἀηδὼν* (in qua spirantis vi altera vocalis producta esse mihi videtur) apparet, e autem gunam qui vocatur passum in diphthongum *αι* (*οι*; *ει*) mutatum est: ut igitur ex radice *λιπ* prodierunt formae *λείπω, λέλοιπα*, sic ex stirpe *ἀϝιδ* verbum *ἀϝείδω*, nomen *ἀϝοιδός*.

Quae cum ita sint, in forma *ᾱείδει* (et reliquis) non cum Bergkio „gr. Litteraturgesch." 868 n. 181 aeolismum, sed ut Hin-

---

[1]) Ruhnkenium, quem in ep. crit. 61 hac de re egisse in Passow. lexico legi, inspicere non potui.

[2]) H. e. ex peculiari Boeotorum in reliquorum Graecorum orthographiam transscriptum *ἀϝοιδὸς* etc.

richs. p. 77 veterem productionem ex ipsis Iadis legibus effectam agnosco.

Ἰάονες.

Semel apud Homerum legitur forma Ἰάονες Il. 13, 685 „ἔνθα δὲ Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες ἑλκεχίτωνες“: ubi recte schol. A de Ionibus qui Peloponnesum incolebant, schol. D minus recte de Atheniensibus cogitat: quid autem Androtion (apud schol. B: fragm. 38 Müll.), qui discrimen statuit inter Ἴωνες et Ἰάονες, sibi voluerit alii diiudicent.

Sic in hymn. 1, 147. 152 incolae Deli insulae Ἰάονες vocantur neque umquam ex poesi graeca haec forma evanuit.

Quam vocem non ex „Ἴωνες“ ortam esse, ut vult schol. V („Βοιωτικῶς διεῖλεν εἰς τὸ Ἰάονες“) sed vetustiorem esse cum ipsa ratione tum inde efficitur, quod Graecos a Persis „Iavanas“ et similiter ab aliis nationibus appellatos esse pro certo habemus [1]: Iavanas autem graece est Ἰαϝόνες, unde Ἰάονες et contractione Ἴωνες prodiit.

Ceterum Graeci, quomodo a Persis vocarentur non inscii, cum Persas de se loquentes faciebant semper fere forma Ἰάονες, quae magis ad illorum pronuntiationem accederet, usi sunt: cf. Aeschyl. Pers. 178. 564. 1011 et maxime Aristoph. Acharn. 104. [2]

λᾶας etc.

Formae homericae a stirpe vocis λᾶας deductae hae sunt:

S. Nom.: λᾶας Il. 4, 52. — Od. 11, 598.

G. λᾶος Il. 12, 462. — Od. 8, 192 (De accentu cf. schol. A ad Il. l.; Lobeck path. El. II, 49).

D. λᾶι Il. 16, 739.

Acc. λᾶαν Il. 2, 319 [qui versus ab Aristarcho eiectus est: cf. schol. A, Düntzer Zenod. p. 157]. — 3, 12. 7, 268. — 12, 445. — Od. 9, 537. — 11, 594. 596. — 13, 163.

---

[1]) cf. Benfey. in Mus. Rhen. 5, 108 et maxime E. Curtium „Die Ionier v. d. ion. Wand“. p. 6. Weber in Kuhn. Z. 5, 221.

[2]) De altera Forma vetusta Ἰᾶνες (Hesych. s. v. Ἴαννα, Soph. fragm. 54 Ddf. Aeschyl. Pers. 949. 950. 1025, et saepius) cf. Weber in Kuhn. Z. 5, 221. Brugm. p. 151.

Dual. λᾶε Il. 23, 329.
P. Gen. λάων Il. 12, 29. — 21, 314.
Dat. λάεσσι Il. 3, 80. — 24, 798. — Od. 6, 267. — 10, 211 [253]. — 14, 9.
λάϊνος Il. 3, 57. — 9, 404. — 12, 178. — Od. 8, 80 13, 106. — 16, 41. — 17, 30. — 20, 258.
λαΐνεοι Il. 22, 154.
λάιγγες Od. 5, 433. — 6, 95 (cf. schol. V: τὰ μικρὰ λιθάρια", B: „τὰ μικρὰ λιθίδια ἀπὸ τοῦ λᾶος, ὁ μέγας λίθος").

(De nominibus Λαέρτης et Λαέρκης, quae huc fortasse pertinent, infra, agetur.)

In hac stirpe ϝ fuisse, quod iam Thierschius 297 (§ 189, 19a) vidit, quamquam id falso ex latina voce „lapis" conclusit, inter omnes nunc satis constat: quod vero Curtius Grdz. 505 radicem esse dicit λᾱϝ, producta vocali, id vereor ne voce λεύω quam ipse citat [1]) refutetur, neque ullam causam cur non potius λαϝ ponamus perspicio.[2])

Ex hac igitur radice usitatis suffixis voces λαϝινος = λάινος; λαϝινεος = λαΐνεος; λαϝιγξ = λᾶιγξ (cf. σάλπιγξ, πλάστιγξ: Curt. Grdz. 270. 487), deductae sunt: praeterea formae λᾶος λᾶι λᾶε λάων λάεσσι sic possunt explicari, ut terminationes ad ipsam radicem accessisse putemus: λαϝ-ος = λᾶος etc., quamquam accentus repugnat in gen. et dat. Quid vero iam statuatur de nominativo λᾶας, de accusativo λᾶαν? nonne pro illo exspectamus λαῦς ex λαϝ-ς, pro hoc λαῦν ex λαϝν? Unde tandem alterum illud α fluxit?

Qua in quaestione vix alio modo possumus versari, quam ut substantivum non ab ipsa radice, sed „α" suffixo interposito conformatum esse dicamus: λαϝ-α-ς = λᾶας; λάϝ-α-ος = λάαος, λᾶος: unde accentus quoque in gen. et dat. explicatur.

---

[1]) cf. κραταίλεων Aechyl. Agam. 666.

[2]) Brugmannus quoque λᾰϝ posuit esse radicem p. 154.

Num Usenerus in Jahn. Jahrb. 91, 229 in voce „lautumiae" illius ϝ vestigia conspici recte statuerit, dubitari potest (Curt. l. l.): quod Schwenckius autem in Philol. 18, 522 λαβύρινθος quoque ad eandem stirpem pertinere putat, vix cuiquam persuadeatur, cum ne id quidem constet vocem illam esse graecam.

Ipse tamen hanc rationem valde incertam esse, cum causa cur in hac una voce suffixum α non in ο transierit[1]) non perspiciatur, confiteor, sed certiorem nunc non video.

κ ρ ᾶ ς etc.

S. Gen. κρᾱτὸς Il. 1, 530. — 5, 7. — 6, 142. 16, 793. 17, 205. — 20, 5. — 22, 468.

Od. 5, 523. — 9, 140. — 10, 288. 362. 11, 600. 13, 101. 346. — 14, 276 (Hymn. 1, 74. — 2, 554). Zenodotum quem κρητὸς scripsisse schol. A ad Il. 1, 530 tradit, rursus Hyperionismum quendam affectantem videmus.

Dat.: κρᾱτὶ Il. 5, 743. — 10, 335. — 11, 41. — 16, 137. — 19, 381. — Od. 9, 490. — 22, 99.

κρᾰ́ατι Od. 22, 218.

Acc.: κρᾶτα Od. 8, 92 (cf. Curt. in „J. Jahrbüch." 67, 11).

Pl. G. κρᾰ́των Od. 22, 309 = 24, 185.

D. κρᾱσὶν Il. 10, 152.

Praeterea α producitur in forma κρᾰ́τεσφι Il. 10, 156 et in voce κρᾰ́νιον, Il. 8, 84.

In eis autem vocibus ab eadem radice deductis, in quibus ρ litteram antecedit, α vocalis corripitur: velut

κάρη Il. 6, 509. κάρητος Od. 6, 230. — 23, 157.

καρήατος Il. 23, 44. — κάρητι Il. 15, 75.[2])

καρήατα Il. 17, 437.

κάρηνον e. c. Il. 2, 117.

ἐπὶ κὰρ vel ἐπικὰρ Il. 16, 392: quamquam hoc loco, cum sequetur consona, de quantitate dubitari potest, tamen ex reliquis quas posui vocibus vocalem brevem esse magna cum probabilitate concluditur.

---

[1]) Genit. λάου ap. Soph. Oed. Col. 196, ab Herodiano iam agnitus, teste Scholiasta, pro vestigio talis transitus vix afferri potest. — Ceterum in singulis formis α retentum esse, velut in οἴκαδε, ὑπαί, παραί. ἄγκαθεν, notum est: in tota flexione quod sciam in nullo alio masculino servatum est. Si autem sententia mea vera est, λᾶας a masculinis secundae declinationis simili modo differt, atque neutra in ας velut γέρας a neutris in ος.

[2]) Quod Schol. V Aristarchum κάρῃ posuisse dicit, error videtur esse, cum κάρῃ metro repugnet.

Denique huc pertinet καθακρῆθεν Il. 16, 548. Od. 11, 588, quod ex κατὰ κρῆθεν, non ex κατ' ἄκρηθεν compositum esse [1]) ex Hesiodi versu a Schol. V ad Il. 16, 548 citato apparet, qui est Scut. 7: „τῆς καὶ ἀπὸ κρῆθεν βλεφάρων τ' ἀπὸ κυανεάων τοῖον ἄηθ'". . .

Quodsi iam de origine harum vocum quaestionem instituimus, haud dubie in brevissima illa forma κάρ radicem agnoscemus, quae iam Thierschii (p. 309, § 197, 55) et Lobeckii (path. El. I, 220) sententia erat. [2]) Ex hac autem radice suffixo vat stirps καρϝατ vel, vocali transposita (cf. θάρ-σος, θρά-σος et Curt. Schulgr. § 59, p. 20), κραϝατ deducta est [3]), unde formae κρᾱτός (κραϝατος κράατος κρᾱτός), κράατι, κρᾱτί, κρᾶτα, κράατα, κράτων, κρᾱσὶν ex linguae legibus ortae sunt, nisi quod in formis contractis accentus eodem modo ad communis regulae analogiam mutatus est, quo e. c. in φρητὸς pro φρέατος (quod exemplum Herodianus apud Chöroboscum Bekk. 1221 affert: cf. Göttl. „Accentlehre" p. 248). Optime autem accidit quod in una forma κράτων, ut iam Schol. V ad Od. 22, 309 et Eustath., apte comparans genitivum δᾴδων, monuerunt, veri accentus vestigium remansit, quod nolim cum Thierschio p. 309 κρατῶν scribendo delere.

Praeterea vero in hac voce duo miscentur genera, cum κρᾶτα Od. 8, 92 pro masculino, κράατα Il. 19, 93 pro neutro accipiendum sit. [4])

Iam videamus quonam necessitudinis vinculo forma κράτεσφι cum reliquis cohaereat. Cum suffixum φι, de quo multi multa falsa protulerunt, semper ad nominum stirpem accedat [5]), in κράτεσφι stirps conspicitur κρᾶτες, qua ad nominativum κρᾶτος (gen. κράτους), h. e. ad stirpem κρᾱτ (κραϝατ) suffixo as (ος, ες) instructam perducimur: in qua explicandi ra-

---

[1]) Verum iam vidit Aristarchus: cf. Schol. A V ad Il. Eustath. ad Od. Alterum „τινὲς" apud Schol. V ad Il, posuerunt et Ribbeck. p. 26.

[2]) Miras Döderleinii ambages (II, 194, § 733) affere opus non est.

[3]) Paullo aliter Brugm. p. 152.

[4]) Cunis generis sit nominativus κρᾶς apud Simm. in Bekk. Anecd. 1181 potest dubitari.

[5]) cf. L. Meyer in Mus. Rhen. 9, p. 62. Gedr. Vergl. p. 58.

tione, cum illud suffixum saepius ad radicem iam aliis suffixis auctam accesserit, velut in μέγεθος τέμενος τέμαχος στέλεχος πλῆθος, eo facilius acquiescere possumus, quod coniecturae quibus haec vox tentata est, velut Heynii κρᾶτί σφι aut Thierschii κρᾶτός φιν ne ferri quidem possunt: illi enim obstat, quod σφίν apud Homerum semper plurali sensu ponitur, huic, quod in vocibus quae olim a sv = σϝ inceperunt apud Iones ϝ in φ non transiit nisi σ quoque littera servata[1]) et quod talis forma φιν, potius ἴν aeque ac ἐμὶν, τίν ab Iade aliena est: nam quod apud Hesiodum (fragm. 204) teste Apollonio Dyscolo haec forma exstitit, inde minime sequitur eam iam in homericis carminibus locum habere potuisse.

Denique ex radice καρ suffixo -αν (cf. στέφ-αν-ον, δρέπανον) vox quaedam καρ-ανον vel κρα-ανον = κρᾶνον[2]), inde suffixo jo κράνιον deductum est.

Reliquae autem formae, in quibus α corripitur, omnes a radice suffixo η aucta prodierunt: suffixo α(ρ)τ καρῆαρ (Antimach. in Bekk. Anecd. 1386) καρήατος; suff. τ καρη-τ = κάρη, κάρητος. κάρητι; suff. ν-ον: κάρηνον; θεν: κάρηθεν = κρῆθεν, ubi α eiectum est eodem modo quo in voce κρή-νη ab eadem stirpe deducta.

Ἵλαος.

Tres formae huius vocis exstant:

ἵλᾱος Il. 1, 583 (Hymn. 4, 204. Hes. Op. 340; Aesch. Eum. 1040).

ἵλᾰος Il. 9, 639. 19, 178 (Archiloch. 75, 2. Theogn. 782. Sophocl. Oed. Col. 1480. Aristoph. Thesm. 1148 et saepius).

ἵλεως: in vulgari Atticorum sermone.

Hanc vocem non esse derivatam ab εἵλη, quod voluit Döderl. III, 35, sed a stirpe quae est ἱλα (Curt. Grundz. 62; Schulgr. p. 161, § 324, 5; Ribb. 64) omnes fere opinor viri docti concedunt: adjectivum enim suffixo va (cf. Savelsberg p. 52)

---

[1]) Una fortasse excepta forma φή, de qua vide Spitz. exc. XXV, Curt. Grdz. 366.

[2]) Haec vox commemoratur a Gregor. Cor. 370: cf. ὀλεκράνων in Arist. Pac. 443.

conformatum primitus erat ἱλᾰϝος, inde ἵλᾱος, posteriore aetate aut correpta vocali ἵλᾰος aut metathesi quantitatum et extenuatione vocalis α ἵλεως.

Thierschio igitur, qui Il. 1, 583 etc. ἵληος scribi iussit, nullo modo assentiemur, praesertim cum analogia formae ἵληθι qua utitur nulla sit: nam talibus in formis vocalis iam vetustissimo tempore velut in δίδωθι, κατάβηθι producta est.

De participiis perfecti activi.

Suffixum participii perfecti activi, quod est in Skrt vâṁs (M.), vat (M. et N.); ushî (F.), in graeca lingua olim erat ϝοτ (M. N.); υσιᾰ = υῖα: cf. Bopp III, 152. Participium igitur e. c. radicis μα, qua hanc ad rem ductus sum, erat μεμαϝοτ —, unde (mea quidem sententia) initio μεμᾱωτ, deinde aut priore aut altera vocali correpta μεμᾱοτ- aut μεμᾰωτ- ortum est.

Sic igitur α vocalis productio explicatur in formis
μεμᾱότες Il. 2, 818 (Hymn. 2, 204).
μεμᾱότε Il. 13, 197 (nam altera scriptura quae traditur μεμαῶτε metro repugnat).
μεμᾱώς Il. 16, 754 et saepius.

Altera vocalis haud dubie producta est in his formis:
μεμᾰῶτες Il. 2, 543. Od. 24, 395.
μεμᾰῶτες Il. 2, 326 (cf. βεβαῶτα, γεγαῶτα, ἐκγεγαῶτι et similia).

In aliis radicibus autem α vocalem iam antequam ϝ evanesceret in ε transiisse ex formis κατατεθνηώτων Il. 7, 409 (κατατεθνεϝότων), τεθνηῶτος e. c. Il. 13, 659. 18, 173; τεθνηῶτα Od. 12, 10; τεθνηότα Il. 19, 300. 24, 20; τεθνηότος Od. 24, 56; κεκμηῶτι Il. 6, 261. κεκμηῶτα Od. 10, 31. — 13, 282. κεκμηότας Il. 11, 802. — 16, 44 multisque similibus mihi videtur satis dilucide apparere.[1])

ἄτη etc.

Formarum conspectus hic est:

Subst. ἄτη: Il. 1, 412. — 8, 237. — 9, 18. 115. 505.

[1]) Aristarchus in illis formis recte scripsit η (Scholl. ad. Il. 7, 409): alii Zenodotum sequentes ει reposuerunt, quod vitium ex transscriptione carminum in recens alphabetum fluxit: cf. Brugm. p. 137.

512. — 16, 274. 805. — 19, 88. 91. — accedunt 3, 100. 6, 356. — 24, 28 ubi var. lect. est apud Schol. ἀρχῆς, quod, duobus prioribus locis a plerisque receptum, tertio ferri non potest: quare Bekkerus Zenodotum secutus ubique ἄτης restituit.

Od. 4, 261. — 12, 372. — 15, 233. — 21, 302. — 23, 223. (Hes. Theog. 230. Op. 216. 231. 352. 412. — Sc. 93.)

Etiam apud lyricos et tragicos productio servatur excepto uno versu Archilochi (73): „Ἤμβλακον καί πού τιν' ἄλλον ἦδ' ἄτη κιχήσατο“: ubi vide Bergkium. — Deinde hic iam mentio fiat adjectivi ἀτηρός (Theognis 433. 634).

Verbi formae hae exstant:

1) ᾱᾱ: ἀάσατο Il. 11, 340. — ἄασαν Od. 10, 68.

2) ᾱᾰ: ἀασάμην Il. 9, 116. — 19, 137. — ἄασεν Od. 21, 296. — ἄασ' Od. 21, 295.

3) ᾰᾱ: ἀάσατο Il. 9, 537. — ἀᾶται Il. 19, 91 (Buttm. Lex. I, 223 voluit ἀαᾷ: sed vide Spitznerum. ceterum huius formae et reliquarum non eandem esse condicionem unusquisque facile intellegit).

4) ᾰᾰ: ἄασας Il. 8, 237 ubi V et Ambr. ἄσας, h. e. ἆσας, habent.

5) formae contractae: ἄσατο Il. 19, 95. — ἆσε Od. 11, 61. — cf. denique ἀασθείς Od. 21, 301; Hymn. 4, 247 ἀάσθη, 4, 259 ἀάσθης. — Hes. Op. 283 ἀάσθη vel potius ἀασθῇ (sic Schäferus).

Restat iam ex eis vocibus, in quibus vocalis producitur adjectivum ἀάατος: scilicet ἀάατον Il. 14, 271. ἀάατον Od. 21, 91. 22, 5 (-τος): quam vocem Schol. V ad Il. l. mirabiliter ex duplici α privativo compositum, ὑπερεπιτακτικὸν esse sibi persuasit, Schol. V ad Od. 21, 91 praeter eundem errorem etiam veram interpretationem affert: cf. Schol. ad Od. 11, 274 et Lobeck. pathol. El. I, 193.

Adiciantur denique eae voces ab eodem capite ductae, in quibus productio non iam exstat:

ἀτέω Il. 20, 332, quod ab Apoll. et Eustath. contra varias lectiones χατέοντα, ἀκέοντα, ἀέκητι confirmatur. — Exstat haec vox etiam Herod. 7, 223.

ἀτέμβω: Od. 2, 90 et saepius. — *ἀταρτηρὸς* Od. 2, 243 et saep.

ἀεσίφρων Il. 20, 183. 23, 603. Od. 21, 302: hanc vocem enim quae ab Apoll. in Lex. et Eustath. forma *ἀασίφρων*[1]) citatur, non ab „*ἄω κοιμῶμαι*" (Schol. Il. 20, 183) deducta esse, sed cum voce *ἄτη* cohaerere inter omnes nunc constare puto.

De origine vocum Döderl. I, 161 (§ 248) multa et falsa profert neque melius Thierschius p. 256 (§ 168, 3) eas a radice AF reduplicata, AFAF deductas esse contendit, cum radicem esse AFA ex forma *ἀνάταν* (Pind. Pyth. 2, 52; 3, 42: cf. fragm. adesp. 123 in Bergk. lyr.) et ex Hesychii glossis *ἄβατος· ἀσύνετος; ἀβαρὴς· ἀσύνετος; ἀάβακτοι· ἀβλαβεῖς* satis dilucide appareat.

Hoc si tenemus, in vocibus *ἄτη, ἀτηρὸς* cognosci non potest, utrum vocalis *ϝ* littera an contractione demum producta sit, cum ex (*ἀϝάτη*) *ἀάτη* et ex *ἀάτη* pari modo forma *ἄτη* prodire debuerit. — Difficilior autem quaestio est de verbi formis quas attuli: si enim ut vulgo fit verbum esse ponimus *ἀάω*, praeter unam formam *ἀᾶται* nulla secundum linguae leges conformata est, cum ex *ἀϝάω* in Iade *ἀήσατο, ἀηθεὶς*, non *ἀάσατο, ἀασθεὶς* etc. exspectemus: si vero *α* vocalem ob antecedens *α* servatam esse Hartelio (III, 24) concedimus, quid tum de eis formis statuamus, ubi altera vocalis corripitur? qualem correptionem in vocali spirantis vi producta intellego, in *ᾱ* pro illo *η* quod est in *τιμήσω* posito quibus exemplis defendam nescio.

Quae cum ita sint, praeter verbum *ἀάω*, unde forma contracta *ἀᾶται* deducta est, etiam verbum *ἀϝάζω* in usu fuisse statuo, ex quo, primum utraque vocali producta *ἀάζω* (*ἀάσατο, ἀᾶσαν*), tum aut priore aut altera aut utraque denique correpta *ἀάζω* (*ἀăσάμην, ἄασεν, ἀάσθη*), *ἀάζω* (*ἀάσατο*), *ἀάζω* (*ἄăσας*), aut contractione *ἄσατο ἆσε* prodierint: qua ratione in formis *ἀασθεὶς* etc. *σ* quoque unde ortum sit intellegitur.[2])

---

[1]) cf. Hesych *ἀασιφόρος· βλάβην φέρων.*

[2]) Nescio an Hesychii forma *ἀάβακτοι* pro hac sententia possit afferri: si enim in *ἀάζω*, ut in *παίζω βαστάζω νυστάζω* aliisque verbis in *ζω* thema inter *δ* et *γ* fluctuasse putamus, *ἀάβακτος* optime explicatur.

Adjectivum autem ἀάατος ex radice quam posuimus simplici modo sic ortum est: ἀάϝατος; ἀάᾱτος; ἀάᾰτος.[1]) — In reliquis vocibus omnibus vocalis productio adeo evanuit ut e. c. in ἀτέω ne contractionis quidem vestigium conspiciatur.

φ ᾶ ο ς.

Tres formae exstant apud Homerum:

1) φάεα: Od. 16, 15 = 17, 39. — 19, 417.

2) φάος: Il. 1, 605 et sic ubique, α correpto (φάει Il. 17, 647; φάεσσι Hes. fragm. 83, 4).

3) φόως e. c. Il. 2, 49. — 6, 6. — 8, 282. — Od. 5, 2.

Stirpem vocis esse φαϝ ex Pindarico φαυσίμβροτος (Ol. 7, 70), quod contractione ex φαεσίμβροτος ortum esse scholiastae nemo opinor concedet (cf. Lobeck. path. el. II, 69), ex forma aeolica φαῦος, pamphylica φάβος (Ahrens d. d. aeol. 50; cf. Curt. Grdz. 548), nomine Δημοφάϝων quod Priscianus legit in vetustissimo Apollinis tripode (Savelsb. p. 9), denique vocibus πιφαύσκω et ὑπόφαυσις (Herod. 7, 36) satis superque efficitur: ipsa autem stirps ex radice φα prodiisse putanda est (Curt. Grdz. 278).

Inde igitur suffixo as (ος, ες) deductum est φαϝος, φᾶος, φάος; praeterea autem ex forma φαϝος, a in partem vocalis o paullum obscurato, φόως (cf. Δημοφόων Hymn. 4, 249) prodiit.

λ α ό ς.

In voce λαὸς simplici α ubique apud Homerum producitur idemque fit in adjectivis λαοσσόος Il. 13, 128. 17, 398. 20, 48. 79. — Od. 15, 244. — 22, 210. (Hes. Scut. 3. 37. 54) et λαοφόρος Il. 15, 682: deinde in nominibus, quae huc pertinere nemo neget, his:

Λαόγονος (Il. 16, 604 et saepius) Λαοδάμεια, Λαόδοκος,

[1]) Nescio an indicium quoddam radicem olim a consona incepisse in eo positum sit, quod adjectivum non est ἀνάατος, sed ἀάατος: qualis consona aut ϝ aut σ videtur fuisse. ϝ autem si ponimus, ad reduplicatam radicem ϝαϝα ducimur, quae simplex, sed cum α prosthetico exstat in ἄϝημι (cf. ventus; Curt. Grdz. 361.): vox ἄτη tum similem significationem proprie habuit atque mhd. unstaete: cf. „ventosus". — Sed valde incerta haec esse ipse minime negaverim.

Λαομέδων, Λαοδίκη, Λαοθόη, Λαοδάμας; Ἀρκεσίλαος Il. 2, 495. 15, 329. — *Μενέλαος* (centies vicies quinquies in Il., quinquagies quinquies (IV, 16 non numeravi) in Od.); *Πρωτεσίλαος* Il. 2, 698. 706. 708. — 11, 681. 15, 705. — 16, 286. — *Ἀγέλᾱος* Il. 8, 257. 11, 302. — Od. 20, 321. 339. — 22, 136. 212. 241. 327.

Deinde vero formae *λεώς* apud Homerum haec exstant vestigia: *Ἀγέλεως* Od. 22, 131. 247.

Πηνέλεως: Il. 2, 494. — 13, 92. — 14, 487. 489. 496. — 16, 335. 340. 17, 597. —

η autem conspicitur in nomine *Λήιτος* Il. 13, 91 (sic Pott. Kuhn. Z. 7, 324), fortasse etiam in

Λειώκριτος Il. 17, 344. — Od. 2, 242. = 22, 294.

Λειώδης Od. 21, 144. 168. — 22, 310: hic enim *ει* eidem vitio tribuendum esse puto, quod in participiis velut *τεθνειώς* supra deprehendimus, in nomine *Λειώκριτος* autem, si modo huc pertinet, utriusque vocalis productio cognoscitur.[1])

Apud Callinum inveni *λᾱῷ* 1, 8; apud Archilochum 69, 1 sq. quater *Λεώφιλος*, 79, 1 *Χαρίλᾱε*, 119, 3 *Ἰόλᾱος*. — Tyrt. 11, 13 *λᾱὸν*. — 12, 24 *λαούς*. — Xenophan. 2, 15 *λᾱοῖσι*. — Theogn. 53. 776 *λᾱοὶ*. 781 *λᾱοφθόρον*. — Hippon. 88 *ληὸν*. — Herodotus forma *λεὼς* usus est, quae etiam 2, 124. — 4, 148. — 5, 42, ubi olim *λαὸς* vulgabatur assentiente parte codicum restituta est (cf. Stein praef. ed. crit. LII ff): praeterea vero substantivum *λήιτον* legitur 7, 197, itemque apud Atticos praeter formas *λεὼς λειτουργεῖν λειτουργὸς* etiam *ληιτουργεῖν, ληιτουργὸς* fuisse constat (cf. *λήταρχος* Lycophr. 991; *λήτειρα, λητή, λητὴρ* apud Hesych. s. h. v. v.).

Stirps vocis, quod apparet ex forma *λαυαηγτα* C. J. gr. I, 1466 et ex nomine *ΛαϝοκόϜων* apud Prisc. I, 22. VI, 69[2]), fortasse etiam ex got. *laups* (*jugga laups* Mc. 14, 51), erat

---

[1]) cf. *Λακρίνης* Herod. 1, 52; *Λάκριτος* Demosth. or. XXXV, quod eodem fere modo ad *Ληώκριτος* pertinet atque *Λαδίκη* (Her. 2, 181) ad formam hom. *Λαοδίκη*.

[2]) De forma *Λαυμέδων* Lycophr. 179 cf. Lobeck. path. el. II, 71.

λαϝ[1]): unde formae graecae eo quem supra significavi modo deductae snnt.

ἄορ etc.

Productio vocalis in voce ἄορ apud Homerum in his tantum formis servata est:

ᾱ̓ορι Il. 10, 484. — 11, 265. 541. — 20, 290. 378. 462. — 21, 179. 208. — ᾱ̓ορας Od. 17, 222: „αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ᾱ̓ορας οὐδὲ λέβητας“.

In nominativo autem vel accusativo ἄορ α semper corripitur, velut Il. 10, 489. — 11, 240. — 14, 385. — 16, 115. 473. — 21, 173. — Od. 8, 403. — 10, 321. 333. — 11, 24. 231. — 19, 241. (Hes. th. 283. Sc. 457). —

Huius vocis significationem non esse δόρυ, quod contendit Schol. V ad Il. 21, 179, sed ξίφος vel φάσγανον (Schol. BQ ad Od. 17, 222. — 8, 403, „ἔνιοι“ ap. Eust. ad h. l., V ad Il. 14, 385), telum certe ad cominus pugnandum aptum et quod si eo non opus erat, „παρὰ μηροῦ“ pendeat, cum omnibus fere locis tum his maxime cognoscitur: Il. 16, 473. — 21, 173. Od. 8, 403. Il. 20, 462: „τὸν μὲν δουρὶ βαλών, τὸν δὲ σχεδὸν ἄορι τύψας“.

Itaque cum de significatione formarum ἄορ, ἄορι dubitari nequeat, iam quaeritur, num ἄορας Od. 17, 222 quamquam genere differt, tamen ad vocem ἄορ pertineat: quod iam veteres nonnullos statuisse ex Hesychii gl. Ἄορας· ξίφη· ἀρσενικῶς cognoscitur. Alii autem, eandem significationem ponentes, ut genus congrueret, hiatus ratione non habita ἄορα scripserunt (Schol. BQ. V. Eustath).

Huic prorsus diversam viam ingressi nonnulli hanc vocem ab illa seiungentes „tripodas“ intellegendos esse censuerunt, sive ansatos (ὦτα ἔχοντας ἐξ ὧν αἴρεσθαι δυνατοὶ Schol. V) sive non ansatos οὔατα οὐκ ἔχοντας B. Q.): unde utrosque vocem ἄορας ab verbo αἴρεσθαι, illi a simplici, hi cum α privativo instructo deduxisse patet.

---

[2]) Ratio M. Mülleri, qui in Kuhn. Z. 5, 151 λᾱός cum δήϊος cohaerere contendit, multo minus prababilis est ea, quam supra Curtium Grdz. 338 secutus amplexus sum.

Mirifice denique alii ἄορας γυναῖκας esse sibi finxerunt (Schol. V. Apoll. Eustath), vocem „παρὰ τὸ ἀείρω τὸ συζευγνύω" dictam esse rati, ut affirmat Eustathius, postea ex ἄορας metathesi ὄαρας (cf. Hes. theog. 205) factum esse addens [1].

Ex. tribus his sententiis cum prima et sensum si respicimus longe ceteris praestet et formam quod attinet exemplo vocis κρᾶς multarumque aliarum satis defendatur, hanc formam a reliquis seiungendam non esse credo (sic Thiersch. p. 309 § 167, 60 Döderl. ll.).

Priusquam autem de origine vocis videamus, de vi ac significatione substantivi ἀορτὴρ pauca praemittenda sunt. Legimus enim

Il. 11, 29 ff: ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισι βάλετο ξίφος· ἐν δέ οἱ ἧλοι χρύσειοι πάμφαινον· ἀτὰρ περὶ κουλεὸν ἦεν ἀργύρεον, χρυσέοισιν ἀορτηρέσσιν ἀρηρός.

Od. 11, 609: σμερδάλεος δέ οἱ ἀμφὶ περὶ στήθεσσιν ἀορτὴρ χρύσεος ἦν τελαμών: de Heracle agitur: non de ensi cogitandum esse (Schol. V) sed de pharetra ex v. 607 maxime apparet.

Od. 13, 138: δῶκε δέ οἱ σκῆπτρον καὶ ἀεικέα πήρην πυκνὰ ῥωγαλέην· ἐν δὲ στρόφος ἦεν ἀορτήρ,

similiterque Od. 17, 198. — 18, 109 de eadem pera.

Quos locos qui perlustraverit, vocem ἀορτὴρ nil aliud significare quam „κρεμαστήρ" recteque Eustathium dicere intelleget: „γίνεται δὲ ὁ ἀορτὴρ παρὰ τὸ ἀείρω τὸ κρεμῶ καὶ μετεωρίζω" (quae sequuntur „καὶ δηλοῖ τὸν κρεμαστῆρα τοῦ ξίφους" non iam sufficere eisdem locis efficitur).

Itaque Curtius Grdz. 330 sq. (cf. Ebel Kuhn. Z. IV, 165 sq.) prorsus eandem viam ingressus radicem nectendi ligandi pendendi vi instructam svar esse demonstravit: unde addito α prosthetico ἀσϝαρ = ἀ[σ]ϝερ, ἀ[σ]ϝορ, ex illo ἀϝερ-jω = ἀείρω, αἴρω, in qua voce α aut omnino non productum est aut productionis vestigium certe non servavit, ex hoc ἄορ, ἄορ; ἀορτήρ prodierunt.

Quae omnia si recte disputata sunt, et Döderleinio, cum de v. ἄορ dicit „... nicht als Mordwaffe, sondern als die am

[1]) Contrarium ponitur in Etym. Magn: cf. Lobeck path. el. I, 518. Döderl. 1, 13 (§ 15) Curt. Grdz. 321.

ἀορτὴρ schwebende Waffe" (I, 13 § 15. cf. Lobeck. path. el. II, 73) assentiendum est et quid sibi velint verba Schol. V ad Il. 14, 385 „Ἀρκάδες καὶ Αἰτωλοὶ πᾶν ὅπλον ἄορ καλοῦσιν" intellegitur: sc. ea „ὅπλα" vel „σκεύη", quae (ἀορτῆρι) pendent.

Quod si tenemus, de significatione vocis χρυσάορος, quae viris doctis multas difficultates praebuit, haud scio an aliquid certi efficere possimus.

Hoc enim epitheton primum Apollini datur Il. 5, 509. 15, 256. — Hymn. 1, 123. 395. Hes. Op. 771. fragm. 227, 3.

Deinde Orpheum sic vocatum esse a Pindaro Scholiastae ad Il. 15, 256 testantur; tum de Cerere dicitur in Hymn. 4, 4 [1]), de Artemide in Orac. apud Herod. 8, 77. — Praeterea Jovem Caricum bipenni armatum „Χρυσαορεὺς" vocatum esse notum est: cf. Preller Gr. Myth. I, 312 not. 2. (inde Χρυσαορεῖον ap. Strab. 14, 660): finiat autem hoc agmen Medusae filius, qui vocatur Χρυσάωρ ap. Hes. th. 287, Χρυσάωρ ib. 281: cf. Χρυσάορι ib. 979 in versu suspecto.

Videamus igitur quomodo veteres in interpretanda hac voce versati sint. Quattuor autem sententiae exstant:

Alii enim interpretati sunt χρυσοφασγάνου, χρυσοῦν ξίφος ἔχοντος (cf. Schol. D ad Il. 5, 509, AL ad Il. 15, 256) vel χρυσόξιφος (lex. ms. Hafn. s. v. χρυσάορον): alii χρυσῆν κιθάραν ἔχοντος (D-ad Il. 5, 509). Quae duae rationes id commune habent, quod -αορ de re (ab ἀορτῆρι) pendente intellegitur: erant autem, qui de ipso balteo cogitantes „χρυσοῦν ἔχοντα τὸν ἀορτῆρα", aut „τῆς φαρέτρας" aut „τῆς κιθάρας" dictum esse putarent (cf. Schol. ABD ad Il. l.). Quarta denique sententia, quam Pottius in Kuhn. Z. 6, 261 amplexus est, a Schol. BL ad Il. 5, 509 hisce verbis exprimitur: ... ἐπειδήπερ ἐξ ἀνατολῆς χρυσῷ μάλιστα τὸ φέγγος ὁραθὲν ἔοικεν, εὑρέθη πρέπον ἡλίῳ διὰ τὰς ἀκτῖνας τὸ χρυσάωρ.

E quibus explicandi rationibus primam ἀνοίκειον esse Apollini („τοξότης γὰρ ὁ θεὸς") recte iam monent Schol. BL ad Il. 5, 509, neque de solo Apolline, sed etiam de Cerere Diana

---

[1]) νόσφιν Δήμητρος χρυσαόρου ἀγλαοκάρπου: Ruhnkenius, nodum ense dissolvens χρυσοθρόνου proposuit scribere quod Wolfius recepit. Hermannus interpolationis vestigium agnoscere sibi visus est.

Jove hoc dicendum est: quartam autem nihili esse eo maxime apparet, quod Apollo apud Homerum Solis munere nondum fungitur.

Neque vero tertia ratio probari potest, cum interpretatio „cum aureo balteo", quamquam plerisque locis apta est, tamen cum nomine *Χρυσάωρ* (cf. Preller II, 65) conciliari nequeat. Quid autem in ea quae iam restat sententia (sc. *ὅπλον* a balteo pendens intellegendum esse), si vera sunt quae de significatione vocis *ἄορ* exposui, iure reprehendi possit non video: *χρυσάορος* igitur mea quidem sententia nil aliud est quam „*χρύσοπλος*", quam vocem ea sola de causa neque in latinum neque in nostrum sermonem ita vertere possumus, ut omnibus locis interpretatio apta sit, quod „*ὅπλον*" apud Graecos sensu ampliore usurpatur quam apud nos „Waffe", apud latinos „arma".

Hoc si probamus, singulis illis locis de eis maxime „*ὅπλοις*" cogitandum est, quae vulgo personis ibi nominatis solent attribui: in Apolline et Diana de pharetra, in Jove de bipenni, de falce in Cerere [1]), in Orpheo de cithara, in Medusae denique filio de telis (fulguris).

Restat iam ex vocibus ab eadem radice deductis, in quibus *α* productum est, compositum *τετρᾱορος*:

Od. 13, 81 ... *ὥστ' ἐν πεδίῳ τετρᾱοροι ἄρσένες ἵπποι* ... *πρήσσουσι κέλευθον:* ubi v. l. apud Eustath. *τετράορες* ad nostram rem nil facit. — Quam vocem, ut stultam derivationem a verbo *ὀρούω* praetermittam, cum „*ἀείρω τὸ συζευγνύω*" aliquo necessitudinis vinculo iunctam esse iam Eustathius recte perspexit, qui cum addit „*οἱ δὲ τοιοῦτοι καὶ τετράσειροι λέγονται, παρὰ τὴν σειράν, ἀφ' ἧς καὶ ἄσειρος ἵππος ὁ ἄδετος καὶ παράσειρος ὁ παρήορος*" ad vocis originem cognoscendam recta via nos ducit: est enim *τετράορος* a radice svar *α* prosthetico aucta deductum, *τετράσειρος* ab eadem radice non aucta, illud *τετρ-α[σ]ϝορ-ος* [2]) = *τετρᾱορος*, hoc *τετρα-σ[ϝ]ερ-jος* = *τετράσειρος*.

---

[1]) cf. *σταχυητόμον ὅπλον ἀρούρης*, in Anthol. 6, 95, 3.

[2]) Dubitari potest, utrum *τετρα-αϝορος* an *τετρ-αϝορος* rectius statuatur: cum illo enim conferri potest *τετρώβολος* = *τετρα-όβολος*; *τετρήμερος* = *τετρα-ημερος*, cum altero *τέθριππος*, *τεθρήμερος*: quae dubitatio, cum utraque via ad formam *τετρᾱορος* perveniamus, in nostra quaestione magni momenti non est.

Aliae autem voces cognatae — ut iam totam rem breviter absolvam — a stirpe ἐσϝορ deductae sunt, utraque vocali producta ἀπήωρος Od. 12, 435, priore tantum παρήορος Il. 16, 471. 474. — 7, 156. 23, 603 et saepius παρηορία Il. 8, 87. 16, 152. — συνήορος Od. 8, 99; μετήορος [1]) Il. 8, 26, sed altera vocali producta apud Atticos: μετέωρος (cf. ἑώραις ap. Soph. Oed. R. 1264).

Quid vero Od. 12, 89 (τῆς ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα πάντες ἄωροι) „penduli" pedes Scyllae sibi velint, ut Scholiastas secuti Nitzsch. Classen. Lobeck. Curt. Grdz. 331 intellegunt, non perspicio, ne si sedentem quidem illam nobis fingimus. Mirum enim tale epitheton de pedibus, qui „κάτω σπείους κοίλοιο" (v. 93) latent dictum esse mihi videtur. Quare potius radicem ϝορ quae est in ὁράω, τιμάορος, πυλάορος, οὐδενόσωρος (Il. 8, 173) (cf. Curt. Grdz. 324) hac in voce agnoverim vertamque aut „invisibiles" (quod sunt sub aqua in specu) aut „horribiles", quae propter foeditatem aspici non possunt.

Substantiva in -εύς.

In flectendis substantivis in ευς accusativi nonnunquam producto α inveniuntur, quam productionem ex ϝ littera explicandam esse cum alii tum Hartelius I, 121 opinati sunt. Cuius rei pauca apponam exempla:

Il. 14, 230 Περσῆᾱ πάντων
„ 5, 827 Ἄρηᾱ τόγε.
„ 6, 366 οἰκῆᾱς ἄλοχον. (7, 228 Ἀχιλλῆᾱ ῥηξήνορα et similia, cum aliunde quoque explicationem habeant, proprie huc non pertinent).

Conferri autem possunt Il. 2, 165 νῆᾱς ἅλαδ', Il. 18, 260 νῆᾱς αἱρήσεμεν (Hoffm. II. 45, Hartel I, 115. 121.)

Quoniam igitur in tractandis eis vocibus, in quibus spirantis vi prior vocalis aut ubique aut certe apud Homerum producta est, plura nobis occurrerunt vestigia, e quibus alteram quoque vocalem affectam esse apparuit, ubi de metathesi cogitari non

[1]) Hoc abjectivum ad reliqua quae posui, non ad vocem ἀήρ, pertinere Pottius in Kuhn. Z. 6, 262 recte monuit.

poterat quod etiam prior vocalis productionem servavit, iam de duabus vocibus dicendum est, ubi in altera tantum vocali productio conspicitur: in quibus alii metathesin quantitatum agnoverunt, ego potius ipsa spirantis vi hoc factum esse putarerim. Sunt autem monnullae formae verborum ἄγνυμι et ἀνδάνω.

ἄγνυμι.

Il. 11, 559 ἐάγη (Bekk. ἐάγῃ) cf. Lob. paralip. II, 400. p. El. I, 59. — accedit adiectivum ἀᾱγὲς Od. 11, 575 („τὸ μήποτε καταγνύμενον" V; „μὴ ἀγνύμενον" Eustath.).

Stirpem huius verbi olim a ϝ littera incepisse, cum certis testimoniis pateat, iam dudum inter omnes convenit: cuius ϝ vestigia cum in forma Hesiodea κανάξαις (Op. 666. 693), in nomine urbis Creticae ϝάξος (Ὄαξος, Ἄξος: cf. ϝῖλος, Ὀϊλεύς), tum in eo maxime quod verbum ἄγνυμι augmento quod dicitur syllabico instruitur, [1]) facile conspiciuntur.

In vetustissima igitur graecitate ἀ-ϝαγ-εσ ut ἀ-σεβ-εσ conformatum erat, unde mea quidem sententia ἀᾱγὲσ, ex eorum opinione qui metathesin statuunt, ἀ̄ᾰγὲσ, ἀ̄ᾱγὲσ prodiit, eodemque modo ἐάγη ex ἐϝάγη ortum est, si quidem aoristum hic retinemus. Sin cum Bekkero perfecti coniunctivum ἐάγῃ reponere malumus, tum forma perfecti ϝέϝᾱγα, ut γέγονα, μέμαα erat: cf. Hes. Op. 534 οὗτ' ἐπὶ νῶτα ἔᾱγε, quod ipsa vetante sententia atque concinnitate nolim cum Bentleio mutare in οὗτ' ἐπὶ νῶτ' ἐάγῃ; Sappho 2, 9 ἀλλὰ καμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λεπτόνδ'...., denique atticum ἔᾱγα.

Quare in forma Herodotea κατεηγότα 7, 224 aut Hyperionismum quendam sive scriptoris sive librariorum, aut aliam perfecti conformationem, sc. ϝέ-ϝᾱγ-α, ϝεϝηγα, ἔηγα, ut πέπρᾱγα, ion. πέπρηγα agnosco.

ἁνδάνω.

Huc pertinet forma homerica ἑᾱδότα Il. 9, 173. Od. 18, 422, quam Suidas citat cum leni, haec annotans: „ἐαδότα· ἀρέσκοντα. ἥδω ἥσω ἧδα, διαλύσει ἔαδα, ἐαδώς, ἐαδότα" unde haud dubie

---

[1]) Nam ἦξε Il. 23, 292. Od. 19, 539 contractione ex ἔαξε (Il. 13, 257) ortum est.

profectus Bekkerus in „hom. Blätt." 135 lenem hoc modo defendere studuit: „Das vorgeschlagene ε hat nichts gemein mit der Wurzel, am wenigsten mit der späteren Form, sondern bringt seinen Spiritus von aussen mit, und natürlich den bequemsten, wie es selber sich nur angefunden um die Aussprache bequem zu machen, nicht aber den für den aeolischen [?] Mund wie für das Neugriechische unaussprechlichen Asper": quod quam verum sit, statim apparebit. Cum enim radicem vocis, quam ex forma *εὔαδεν* Il. 14, 340. — 17, 647. — Od. 16, 28 (cf. Hinr. p. 26) *Ϝαδ* fuisse Thierschius 383 (232, 19) conclusit, potius *σϜαδ* esse e linguis cognatis constet (Curt. Grdz. 214 f.), perfectum vetustissimo tempore erat *σεσϜαδα, σεϜαδα,* postea *εᾶδα* (aut *ἤᾰδα, εᾶδα:* cf. supr.).

Itaque cum *σ* litteram in initio vocum saepissime in asperum, multo rarius in lenem transire notum sit, Wolfius Spitznerus Kirchhoffius Ribb. p. 72, Curt. Schulgr. 160 (§ 322, 23 D), quod asperum posuerunt recte fecisse mihi videntur.

β) j.

ἐλάϊνος ἐλαΐνεος.

ἐλάϊνος Il. 13, 613. Od. 5, 236. — 9, 378. 382.

ἐλαΐνεος Od. 9, 320. 394.

Substantivum apud Homerum est *ἐλαίη* (e. c. Il. 13, 372), apud Atticos *ἐλάα.*

Quarum vocum radicem Pott. I, 208, rectius haud dubie quam Buttmannus qui in Lex. II, 115 verbum *εἴλειν* huc pertinere existimavit, lî vel auctam lai = „liquefacere" esse demonstrat, unde cum a prosthetico stirps *ἐλαj* deducta sit: cui sententiae Curtius quoque Grdz. 336 assentitur, latinam vocem „oliva" ex graeco sermone petitam esse ratus (ut Achivi ex *Ἀχαιοί*).

Facillime igitur productio vocalis ex *j* spiranti explicatur: *ἐλᾰj-ινος = ἐλάϊνος, ἐλᾰjᾱ,* ionice *ἐλᾰίη,* att. *ἐλάα.*

ἀενάοντα . [ἀενάου . ἀΐδιον].

Od. 13, 109 *ἐν δ᾽ ὕδατ᾽ ἀενάοντα* vulgo scribitur; e var. l. apud Eustath. *αἰενάοντα* Bekkerus dedit *αἰὲ νάοντα.*

Cf. Hes. Op. 595 κρήνης τ' ἀενάου.
Hymn. 29, 3 ἀΐδιον.

Scut. Her. 310 οἱ μὲν ἄρ' ἀΐδιον δὴ ἔχον πόνον, ubi Hermannus, quod vox ἀΐδιος epicis veteribus inusitata sit, scribi iussit „οἱ μὲν ἄρ' ἔμπεδον αἰὲν ἔχ. π." quae coniectura iam ea de causa probabilitatem non habet, quod hoc carmen, certe inde a versu 54, ab antiquo epico profectum esse non videtur.

Quodsi iam de origine vocum quaerimus, cum pristina forma adverbii ἀεὶ αἰϝει inscriptione Corcyraea C. J. I, 1 servata sit (cf. aevum, got. aivs)[1]), ἀενάοντα ex αἰϝεναοντα, (αἰεναοντα ἀjενάοντα ἀενάοντα) eodemque modo reliquae voces explicandae sunt. Cum autem ex multis formis adverbii (cf. Schäfer ad Greg. 348. Ahrens d. d. dor. 378) apud epicos αἰεὶ, αἰὲν, rarissime ἀεὶ (velut Il. 12, 211) exstant, de qua re egerunt Herm. ad Hymn. 3, 202. Lob. El. II, 345, Bekkeri scripturae αἰὲ νάοντα probabilitatem nullam concedemus: quo accedit, quod talis ratio in voce simillima ἀενάου ne cogitari quidem potest.

δαήρ.

Quater haec vox legitur apud Homerum: Il. 3, 180 δᾱήρ. — Il. 6, 344 δᾶερ. — Il. 14, 156 δᾱέρα. — Contra correpta vocali Il. 24, 769 δᾰερῶν: quod synizesi legendum esse censent Spitz. ad h. l., Passow., Lobeck. p. El. II, 68: Curtius in Mus. Rhen. 4, 254 (W. et R.) voluit δαρῶν = δαϝρῶν, quod verum non esse ex eis quae de origine vocis constant patebit.

Stirps enim huius vocis, id quod ex Skrt. dêvar, lat. lêvir[2]) dilucide apparet, est daivar = δαιϝερ δαιερ δαjερ δᾱερ, unde sequitur productionem vocalis α non ϝ spiranti, sed j — eodem modo atque in κάω κλάω ex καϝjω κλαϝjω — tribuendam esse: cf. Ebel. in Kuhn. Z. 7, 272.

ἀκράαντος. κεκράανται κεκράαντο.

ἀκράαντος legitur Il. 2, 138. — Od. 2, 202. — 19, 565 (Epigr. 4, 14).

---

[1]) Mirifice errat Theophrastus, cum in hist. plant. I, 1,2 formas a diphthongo incipientes recenti oris aetatis esse contendit.

[2]) De mutatione litterae ol in l cf. olor — odere ὄδωδα; lacrima — δάκρυον: plura dabit M. Müller in Kuhn. Z. 5,152 in nota.

κεκράανται Od. 4, 616. — 15, 116.
κεκράαντο Od. 4, 132.

De quibus vocibus quo facilius possimus iudicare, pauca addenda sunt:

ἐκραίαινεν Il. 5, 108. — κρήηνον Il. 1, 41. 504.
κρηήνατ' Od. 3, 418. — 17, 242. — κρηῆναι Il. 9, 101.
κρανέεσθαι Il. 9, 626. — κρῆνον Od. 20, 115.
κρῆναι Od. 5, 170.

Omnes has formas, in quibus Lobeck. p. el. II, 50 et 138 vocales α, αι, η pleonasmo tribuit, Döderl. II, 193 (732) verbis qaullo cautior „eine schwer zu motivirende Erweiterung" nominat, recte Curt. Grdz. 147 a stirpe κρα ita deductas esse demonstravit, ut suffixis ν + ja verbum κραίνω, quo formae κρανέεσθαι κρῆνον κρῆναι pertinent, praeterea substantivum κραjᾰ vel κραjη (cf. Skrt. krijâ), ex hoc denominativum verbum κραjαίνω prodiret (cf. κράδη-κραδαίνω): ex huius verbi stirpe quae est κραjαν formae κεκράανται κεκράαντο et adjectivum ἀκράαντος prorsus ita ut exspectamus, conformata sunt, quod iam Eustath. sensit cum ad Od. 19, 565 annotavit „τοῦ ἀκράαντα τὸ ῥῆμα κραιαίνω, ὥσπερ τὸ κραίνω τοῦ ἄκραντα" (cf. Eurip. Bacch. 435). — In formis autem quae restant ab hac stirpe κραjαν deductae, κρήηνον, κρηήνατ' κρηῆναι, pro quibus κράηνον etc. exspectes, haud scio an vocalis α analogia formarum κρῆναι κρῆνον et similium affecta sit.

De nominibus in άων.

Primum hic nominandae sunt formae

διδυμάονε Il. 5, 548. — διδυμάοσιν Il. 16, 672.
ὀπάων Il. 7, 165. — 8, 263. — 10, 58. — 17, 258.
ὀπάονα Il. 17, 610. — 23, 360.

Deinde multa occurrunt nomina:

Ποσειδάων, Ποσειδάωνος etc.: nam omnes locos apponere operae non pretium est.
Μαχάων (Μαχάονα Il. 4, 200 etc.).
Λυκάων, ονος. — Ἀρετάονα Il. 6, 31. — Ἀμοπάονα Il. 8, 276.
Ἀπισάονα Il. 17, 348. 11, 578. gen. 11, 582. — Ἑλικάων Il. 3, 123.

Ικετᾱονα Il. 3, 147. Il. 20, 438. — 15, 576 (gen.). *Ἱκετᾱονίδην* Il. 15, 546. — *Ἀμυθᾱονα* Od. 11, 259. *Ἀλκμᾱονα* Il. 12, 394.

Cum hac forma *Ἀλκμᾱονα* si *Ἀλκμαίων* Od. 15, 248 (Venet. *Ἀλκμάων*) comparamus, eo necessario ducimur ut utrumque ex *Ἀλκμαjων* prodiisse putemus: quo bene quadrat quod Herodotus et Attici altera vocali producta habent *Ἀλκμέων Ἀλκμέω̄νος, Ἀλκμεωνίδαι:* similis autem ratio inter vocem *ὀπάων, ονος* Herodoteasque formas *ὀπέωνες* 9, 50. *ὀπέωνας* 9, 51 intercedit. Quare in reliquis quoque vocibus quas attuli *α* vocalem *j* spiranti productam esse summam probabilitatem habet.

Dubitari autem potest in nomine *Ποσειδάων*, utrum aliud suffixum atque in reliquis, sc. *ων, ω̄νος*, quod amplificationis sensum habere solet (cf. *αἰὼν, Κρονίων*) accessisse an in suffixo *αjον-* utramque vocalem *j* evanescenti productam esse arbitremur: quam quaestionem, cum indicia satis firma desint, diiudicare non ausim.

δᾱΐζω.

In verbo *δαΐζω α* apud Homerum corripitur excepto uno verso Il. 11, 497: *„δᾱΐζων ἵππους τε καὶ ἀνέρας“:* quocum conferri potest forma *δᾱΐξας* apud Aeschyl. Choeph. 396 (*φεῦ φεῦ κάρανα δαΐξας:* respondet v. 282 *Ζεῦ Ζεῦ κάτωθεν ἀμπέμπων*).

Quodsi ex radice, quam *δα* esse constat (Curt. Grdz. 216: cf. *δα-σ-μὸς, δα-τέομαι*) simplici modo, ut ex *ἐλπ* — *ἐλπίζω, δαΐζω* deductum esse putamus, tum sane Col. Mure in Mus. Rhen. (W. et N.) 6, 495 in versu de quo agimus vocalem metri causa productam esse iure contendit („the production is obviously of a metrical, not an etymological nature“): nescio autem an ex voce Indica dâjas, graecis *δαΐ-(τ)-ς, δαι-τύς, δαι-τὴ, δαι-τρός, δαι-τύμων* verbum non a mera radice, sed a stirpe *δαι* = *δαj* deductum esse aliquo cum iure concludatur: quod si ponimus, productio vocalis *j* spiranti effecta est.

De Genitivis in *ᾱο*.

Genitivi masculinorum quae ad primam declinationem trahuntur, apud Homerum in *αο*, rarius in *εω* exeunt: e. c.

ἑκατηβελέταο . νεφεληγερέταο . Νηληιάδαο . Αἱμονίδαο . Βορέαο. Terminatio in εω, quae unica est in formis ἀγκυλομήτεω. Ἁρμονίδεω . ἐριβρεμέτεω. Ἴδεω. κυβερνήτεω . συβώτεω, in universum altera multo rarior est, velut in voce Ἀτρείδης vicies sexies genitivus in αο, sexies (Il. 11, 180 non numero) in εω exstat. Utraque forma duobus deinceps versibus ponitur

Il. 21, 85 sq.: γείνατο Λαοθόη θυγάτηρ Ἄλταο γέροντος
Ἄλτεω, ὃς Λελέγεσσι φιληρέτμοισιν ἀνάσσει.

Posteriore aetate autem in Iade sola forma in εω, (antecedente vocali, ut videtur, contracta in ω), in usu erat.

Hac de flexione quid veteres iudicaverint, cum ab Hinr. p. 92 accuratius expositum sit (addi potest Schol. A ad Il. 11, 306), quaerere nunc praetermittens statim de origine formarum agam : quae res ea de causa magnis difficultatibus obnoxia est, quod de origine illorum Masculinorum nondum satis constat. — Ne autem longus sim, stirpes pono olim desiisse in ᾱ, sive illud contractione ortum est (Pott II, 2, 883, Düntzer Decl. 54) sive alio modo (Bopp. I, 300, III, 188; Schleicher 417). Ad hanc stirpem idem illud suffixum sja, quod est in λόγοιο, Πετεῶο, accessit (Bopp. I, 378. Schleicher 451), e. c. Ἀτρειδᾱ-σjο, Ἀτρειδᾱ-[σ]ιο, Ἀτρειδᾱjο. Cum autem causa cur in Iade non potius Ἀτρειδηjο, Ἀτρειδῆο ortum sit nulla perspiciatur, iam in vetustissima Graecitate j evanuisse, methatesis quantitatum in εω facta esse mihi videtur: unde sequitur formas in ᾱο ex vetustissima poesi, non iam ex lingua vivida, ubi potius -εω erat, in Homeri carmina receptas esse : quae sententia eo quoque confirmatur, quod in formis in -ᾱο (aeque atque in genitivis in οιο) ο vocalis non eliditur.

Quamquam igitur haec genitivi conformatio proprie huc non pertinet, tamen eam hic iam commemorare volui, quod j spirantis vestigium si non in α vocali terminationis αο, at certe in ω terminationis εω conspicitur.

Ne autem graviora videar neglexisse, quomodo cum eis quae supra posui attica forma in ου, arcadica in αυ, corcyraea in -αϝο conciliari posse existimen, breviter indicabo. Quod igitur terminationem ου attinet, eis assentior qui eam ad secundae quae vocatur declinationis analogiam conformatam esse putant,

—

in arcadicis genitivis autem velut ζαμίαν ἰσδόκαν primum masculinorum flexio in feminina penetrasse, deinde vero ο in terminatione ᾱο in υ videtur transiisse, quod apud Arcades saepius factum esse ex forma ἀπὺ = ἀπὸ aliisque indiciis notum est.

Denique vocem Τλασιαϝο (cf. Kuhn. Z. 1,118) quod attinet, cum ϝ neque per se explicationem habeat neque ex j ortum esse possit, quod numquam fit (Curt. Grdz. 409), haud dubie eis assentiendum est quae Curtius p. 553 exposuit.

De diectasi (Zerdehnung).

De famosa hac re, quae grammaticis olim maximas difficultates praebuit, cum Curtius in „Erläut. z. gr. Schulgr.“ p. 98 pluribus dixerit, optimum videtur ut ipsius verba afferam: „alle Contraction ungleicher harter Vokale (a e o) beruht auf 2 Vorgängen, darauf, dass der eine Vocal dem andern gleich wird und darauf, dass beide gleichgewordene in eine Länge zusammenfliessen. Diese beiden Akte werden in der Regel zeitlich von einander getrennt gewesen sein, und unbedingt muss der erste dem zweiten vorausgehen. Die homerische Sprache bewahrt uns hier wie oft die Ergebnisse verschiedener Sprachperioden nebeneinander: das ganz unveränderte ναιετάω, das assimilirte ὁρόω, das contrahirte ὁρώμενος“, et ibid. p. 100: „άω έω όω sind aus der Form ajâmi hervorgegangen. Der Ausfall des j, das anderswo vokalisirt erscheint in νεικείω, παλαίω bewirkte Dehnung bald des vorhergehenden Vokals — πεινάω δρώοιμι — bald des folgenden ὁροῶντα ὁρόωσι .... Allerdings ist auch einigemale beides nebeneinander — δρώωσι, ἡβώωσι — und kann auch beides unterbleiben, ἀοιδιάουσα“.

Quibus verbis planissimis cum tota res confecta sit, nil iam restat quam ut nonnulla exempla quae ad meam quaestionem spectant subiciam[1]: μνάομαι Od. 16, 431. 22, 38. — πεινάων Il. 3, 25. — πεινάοντε Il. 16, 758. — 18, 162. — ἀναμαιμάει Il. 20, 490. (cf. μαιμώωσα Il. 15, 542. περιμαιμώωσα Od. 12, 95). πεδάᾳ Od. 4, 380. — ἐάᾳ Il. 8, 413. — δαμάᾳ Il. 22, 271. — ἐλάαν Il. 13, 27. — 17, 496.

[1]) cf. Thiersch p. 358 (220,67); Bekker hom. Blätt. 47. Krüger 34,5. Ribb. 44. 84.

ἠγάασθε Od. 5, 122 : cf. ἀγαιομένου Od. 20, 16.
ἀγάασθε Od. 5, 119. ἀγᾶσθε Od. 5, 129.[1])

Λᾱέρτης. Λᾱέρκης. Ἀμφιάρᾱος.

Hic denique priusquam ad aliam quaestionis partem tractandam progrediar, tria nomina Λαέρτης. Λαέρκης Ἀμφιάραος commemorem, in quibus quin α vocalis spiranti producta sit dubitari nequit. — In Λαέρτης enim (cf. Λᾱερτιάδη) et Λαέρκης Il. 17, 467. Od. 3, 425, quamquam etiam de λᾶας cogitari potest probabilius stirpem vocis λαός agnoscemus rectiusque igitur fecissem si haec nomina iam supra tractassem: in tertia autem voce de spiranti potest dubitari. Legitur his locis: Od. 15, 244 Ἀμφιάρᾱον.

Od. 15, 253 Ἀμφιάρᾱος: ubi Zenodotus quem sequitur Eustath., nimio Iadis studio η scripsit, Aristarchus ᾱ reposuit. Idem nomen cum apud Herodotum (1, 46. 49. 52. — 8, 134 cf. 3, 91) et apud Atticos (e. c. Aeschyl. Sept. 570) formam habeat Ἀμφιάρεως, spirantem olim in terminatione αος fuisse valde probabile fit, quamquam utra fuerit pro certo dici nequit (cf. p. 76 not. 1).

Ic.

Quoniam hactenus de eis vocibus egi, in quibus α vocalis productionem e certis linguae legibus ortam esse aut firmis indiciis aut analogiis ut mihi videbatur aptis nisus demonstrare potuerim, iam ad nonnullas voces tractandas progrediendum est, de quibus, cum tale auxilium minus adsit, sententiam ab omni parte certam proferre non potero.

---

[1]) Alii hic de radice γαϝ cogitaverunt: quae res certe valde dubia est: cf. Hartel III, 24. Curt. Grdz. 163. — Ceterum mentio hic fiat formae γεγάᾱτε Batrach. 143, ne quis eam eodem modo explicari posse putet: in perfecto enim talis ratio excogitari non potest. Mea autem sententia haec forma vitium est poetae, qui cum γεγάᾱσι exstaret, etiam γεγάᾱτε dicere sibi licere putaverit (cf. Buttm. Lex. I, 9.); saepius enim poeta huius carminis falsis analogiis in errores inductus est velut v. 23, 117, 199, 295, quin etiam dialectos miscuit (82, 283, 161). — Ceterum Batrachomyomachiam ante Plutarchi aetatem non commemorari notum est.

Primum autem removeamus molestam quandam vocem, in qua productio vocalis mero vitio tribuenda esse videatur:

ἀλαός.

Legimus enim Od. 10, 493. 12, 267 : μάντιος ἀλᾱοῦ : in reliquis vocibus ab eadem stirpe deductis omnibus utraque vocalis corripitur, velut ἐξαλάωσας Od. 11, 103. — 13, 343. — ἀλάωσεν Od. 1, 69. ἀλαωτὺν Od. 9, 503, neque ulla causa perspicitur cur in his vocibus, quas ad radicem ἀλ (cf. ἀλᾶσθαι, ἀλαοσκοπίη) pertinere omnes quod sciam viri docti Döderleinio I, 72 (97) concedunt, vocales productae sint.

Quare aut Hermanno assentiendum est, qui levissima mutatione μάντηος ἀλαοῦ scribi iussit in El. doctr. metr. 347, probantibus Thierschio 289 (190, 22 not.), Passow., Bekk., Dind.[1]), aut duo illi loci posteriore tempore ab homine quodam additi videntur, qui ut omnes fere posterioris aetatis epici causas cur tot formae in vetustioribus carminibus legibus sermonis vulgaris repugnarent non iam persentientes, quidvis in hoc genere sibi licere existimaverit.

Remota igitur hac voce iam ad ea accedam, quae proprie ad quaestionem meam pertinent. Initium autem capiam a voce quadam epica, ubi ᾱ vocalis fortasse contractione orta est, adiciam deinde eas ubi de productione suppletoria cogitari potest.

ἀμάω etc.

Huc pertinent formae hae:

ἀμήσαντες Il. 24, 451. — Od. 21, 301.
ἀμῷεν Od. 9, 135.
ἀμητῆρες Il. 11, 67 (ubi cf. aptam interpretationem Schol. BL.)
ἄμητος Il. 19, 223 (de accentu cf. Spitzn. in Exc. XXX.).
ἤμων Il. 18, 551. — ἀμαλλοδετῆρες Il. 18, 553.

Praeterea aut ad idem verbum aut certe ad eandem radicem pertinere videntur

διάμησε Il. 3, 559. 7, 253 („ἀντικρὺ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χίτωνα ἔγχος“: quod verbum iam Schol. BL

[1]) De productione syllabae ος cf. Hartel. I, 118.

ex *διὰ* et *ἀμῶ* compositum esse contendunt). — *ἀμησάμενος* Od. 9, 247:

„*αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν*“: ubi recte Schol. V: „*συναγαγών*“, Eustath.: *ἀντὶ τοῦ συνελὼν χερσὶ καὶ συναγαγών.*

ἐπᾰμήσατο Od. 5, 482 (*εὐνὴν ἐ.*, sc. ex fronde).

κατᾰμήσατο Il. 24, 165: „*κόπρος . . . τήν ῥα κυλινδόμενος καταμήσατο χερσὶν ἑῇσιν*“ : hic *κατεμήσατο* V. Harl. Apollon., olim vulgo; *καταμήσατο* Schol. BMV.

Apud Hesiodum haec estant:

ἀμάαν Op. 392. — *ἀμήσεις* Op. 480: contra *ἀμᾶσθαι* Op. 775. *ἀμᾶται* Op. 778. *ἀμῶνται* Theog. 599. Apud Theognidem 107 *λήιον ἀμῶς*; 428 *γῆν ἐπαμησάμενος* (sc. mortuus).

Quos locos perlustrantibus nobis id certissime apparet, a vocalem corripi ubi de colligendo agitur, produci ubi metendi sensus requiritur: quae enim forma huic regulae maxime repugnat, *διάμησε*, cum metendi significatio neque ad „*χιτῶνα*“ neque ad „*ἔγχος*“ apta sit, cum reliquis non cohaeret, sed ex stirpe *μα* quae est in *μέμαα, μαίομαι*, deducta idem valet atque „penetravit“.

De reliquarum formarum origine si iam quaerimus, primum dubitari potest, utrum omnes ab eadem stirpe deductae videantur necne: ac Döderleinius I, 199 (300) collatis Hesychii glossis *ἀμᾶν · θερίζειν . ἀμᾶσθαι · ἐφέλκεσθαι τὴν γῆν* homonyma esse putat *ἀμᾶν* = metere, *ἀμᾶσθαι* = emere: *ἀμᾶν* autem (301) ex simplici verbo *ἀμᾶν* cum praepositione *ἀν* composito hoc modo ortum esse *ἀν-αμάω ἀνμάω ἀμμάω ἀμάω:* quae ratio cum analogiis non confirmentur reicienda est.

Neque vero Curtius cum Grdz. 301 radicem esse contendit *μα* (= lat. met-ere), ad quam *α* prostheticum accesserit, verum videtur assecutus esse, quod sic productio vocalis non explicatur: quod idem de Lottnero (Kuhn. Z. 7, 22) et Savelsberg. (ibid. 21, 204) dicendum est.

Quodsi certa non adest etymologia, ea circumspicienda est, in qua etiam causa cur vocalis producta sit appareat: hic autem nobis se praebet sententia nescio a quo primo prolata (inveni

eam in Passow. lex.), voces *ἀμᾶν* et *ἀμᾶσθαι* cohaerere cum adverbio *ἅμα:* quod si verum est, a radice „sam", ut nostrum „sammeln", sic graece *ἀμᾶσθαι* profectum est, ubi quamquam asperum exspectes, tamen lenis sat multis exemplis certissimis excusatur. Iam vero quaeritur num verbum medium *ἀμᾶσθαι* colligendi sensu praeditum idem sit atque activum *ἀμᾶν* = metere: quod non videtur. Immo, cum significatio verbi *ἀμᾶν* comparata cum significatione verbi *ἀμᾶσθαι* actionem quae multo maiore opera et vi fit, indicet, nescio an *ἀμάω* etiam formam quod attinet intensive confictum sit: quod cum alio modo tum reduplicatione fieri potest: mea igitur sententia *ἀμάω* ortum est ex *σασαμάω, ἀμήσαντες* ex *σασαμήσαντες, ἤμων* ex *ἐσασάμαον ἐάμαον* (cf. *ἐ-Ϝέ-Ϝεπον* = *εἶπον, ϜεϜεπών* = *εἰπών* etc.): quod autem reduplicatio non modo in stirpe praesentis, — sed etiam in aoristo, vel in substantivo *ἄμητος* exstat, id analogiis non destitutum est: cf. Krüger. 28, 4, 5, praeterea verba *γεγωνέω, δειδίσσομαι* vel *δεδίσσομαι* . *μαιμάω* . *ὀαρίζω* (*ὀαριστύς:* Curt. Grdz. 321).

Iam transeamus ad eas voces, quae precandi et nocendi significatione praeditae incipiunt a litteris

ἀρ.

Precandi vis in his vocibus inest:

ἀρή: Il. 15, 378. 598. — 23, 199. — Od. 4, 767. — 17, 496 (Hes. Op. 726).

ἐπᾱρή: Il. 9, 456 (*ἐπᾱράς*).

In verbo *ἀράομαι:*

ἀρᾶται Il. 9, 240. — 23, 209. — Od. 19, 533.

κατᾱρῶνται Od. 19, 330 (Theognis 277).

ἀρώμενος Od. 19, 367. — *ἀρησόμεθ'* Il. 9, 172.

ἀρήσετ' Od. 2, 135. — *ἀρήσασθαι* Il. 6, 115.

ἀρήσῃ Il. 13, 818. — *ἀρησαίατ'* Od. 1, 164.

ἀρήμεναι Od. 22, 322 (*ἠρήσαντο* Il. 3, 318. *ἠρήσατο* Od. 13, 355. *κατηρᾶτο* Il. 9, 454).

ἀρητὴρ Il. 1, 94. — 5, 78.

πολυάρητος Od. 6, 280. — 19, 404 (Hym. 4, 220).

Ἀρήτη Od. 7, 54. 231. — 8, 423. 433. 438. 13, 66 (cf. Schol. P, V ad Od. 7, 54: καθὸ ἀρητῶς καὶ εὐκταίως ἐγεννήθη). Hippon. 14, 2. 39, 2.
Ἄρητος Il. 17, 494. 517. 535. Od. 3, 414. 440.
Ἀρήνη ? Il. 2, 591. — 11, 723.
θυμᾱρής Il. 9, 336. Od. 23, 232 (θυμᾱρέα). Od. 17, 199 (θυμαρὲς: θυμῆρες Schol. *A* ad Il. 9, 336, Apollon., Eustath. ad v. 195):

quam vocem veteres quamquam saepius cum forma θυμήρης confundunt, tamen accentu ab illa distare semper mente tenuerunt: cf. praeter l. l. P ad Od. 23, 232, Etym. M. s. h. v., Scholia ad Il. 3, 316 (ex Herodiano hausta); Lobeck. pathol. 267. 269 sq. Gött. Accentlehre 326. Habemus igitur duas voces θυμήρης et θυμᾱρής, non ex eodem verbo ἄρω derivatas quod vult Döderl. II, 83 (539), sed ita seiungendas, ut illud compositum sit ex θυμ- et ἀρ- = „animo aptus", hoc ex θυμ- et ᾱρ = „animo exoptatus".

Nocendi vis autem in his vocibus inest:
ἀρή Il. 12, 334. — 14, 485. — 16, 512. — 18, 100. 213 (ἀρῆς ἀλκτῆρα: sic Zenod., vulg.; Aristarchum, qui Ἄρεω scripsit — Schol. BL ad 14, 485, BV ad 18, 100 — nemo quod sciam secutus est: cf. Spitzn. ad 14, 485, Düntzer. Zenod. 109). — Od. 2, 59.
ἀρειή Il. 17, 431 „πολλὰ δὲ μειλιχίοισι προσηύδα, πολλὰ δ' ἀρειῇ".
ἀρημένος Il. 18, 435. — Od. 6, 2. — 9, 403. — 11, 136. 18, 53. 81. — 23, 283: quam vocem Scholiastae ad Il. 18, 435, Od. 6, 2 recte interpretantur
„βεβλαμμένος": De accentu cf. Hinr. p. 128 not. 42.
ἀρητὸν Il. 17, 37: „ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας": ubi Schol. A „βλαπτικὸν παρὰ τὴν ἀρὰν τὴν βλάβην ἢ ἄπευκτον", *B* „μισητὸν καὶ ἐπάρατον": quae interpretatio cum aptissima sit, non video cur cum cod. Lips. Clarkio Ernestio Passow. aliis scribamus ἄρρητον = „infandum".

Cf. πολυάρητος Theogn. 819.

Quas voces omnes ab eadem stirpe vovendi significatione instructa ita ut votum aut in bonam aut in malam partem fieret

derivatas esse existimo: unde sequitur distinctionem qualem inter voces ἀρὴ „votum“ et ἀρὴ „damnum“ supra institui, re vera nullam esse: praesertim cum ne id quidem ab omni parte certum sit vocalem α in voce ἀρὴ si precatio est, produci, si deprecatio, corripi: nam de significatione interdum potest dubitari velut Il. 15, 598. Od. 17, 496.

Priusquam autem in huius stirpis originem inquiramus, non inutile videtur formas nominis Ἄρης, quod nomen nescio an aliquo modo cum vocibus supra allatis cohaereat, hic apponere.

Nom. Ἄρης Il. 5, 518. 563. 594. 704. 845. 859. 863. 866. — 6, 203. — 7, 146. 208. — 13, 444. 521. — 15, 112. — 16, 613. — 17, 210. 529. — 21, 391. — Od. 8, 285. 13, 537 (vicies).

Ἄρης Il. 4, 430. — 5, 363. 385. 388. 461. 507. 59?. 604. 844. 851. — 13, 127. 298. 521. 569. — 15, 113. 605. 17, 398. — 18, 516. — 20, 3?. 51. 138. 358. — 21, 402. — 24, 260. 498. — Od. 8, 353. 355. — 14, 216 (octies et vicies).

Voc. Ἀρες Il. 5, 31. 455 (Hymn. 6, 1).

Ἄρες Il. 5, 31. 455 [1]).

G. Ἄρεος Il. 4, 441. — Ἄρεος Il. 19, 47. — Od. 8, 267.

Ἄρηος Il. 3, 128.

Ἄρηος Il. 2, 110. 512. 540. 745. 663. 704. 842. — 3, 147. — 6, 67. — 7, 382. — 8, 79. 349. — 9, 82. — 10, 227. — 11, 734. — 12, 188. — 15, 733. — 19, 78. — 20, 238. — 23, 841. — 24, 474 (De forma Ἄρεω ab Aristarcho male in Homerum intrusa iam p. 72 dictum est).

D. Ἄρει Il. 2, 479. — Od. 8, 276.

Ἄρει Il. 5, 757. — 21, 431.

Ἀρηι Il. 2, 515. — 5, 829. 841 (Ἀρηϊκτάμενος 22, 72).

Ἄρηι Il. 2, 627. — 5, 430. 576. 699. — 8, 215. — 11, 295. 604. — 12, 130. — 13, 295. 328. — 15, 110.

---

[1]) Ixion voluit ἀρὲς, probantibus Bekkero (hom. Blätt. 195. Curt. Grdz. 318. aliis: nescio autem an vulgata his locis defendi possit: Od. 17, 519—521. — Od. 11, 303. — Il. 11, 297. 21, 85. 86. cf. Cobet var. lect. 396, Munro ad Lucr. 4, 1259, qui citat ex latinis Lucr. 3, 145 Verg. Aen. 2, 663. Tibull 2, 3, 27 aliosque.

309. — 16, 484. 536. 784. — 17, 72. 536. — 20, 46. — Od. 8, 115. accedunt

Ἀρηΐφιλος Il. 3, 206. 307. 430. 432. 457. — 16, 303.

Ἀρηΐθοος Il. 7, 8. 10. 137. 138. — 20, 487.

Ἀρηΐλυκος Il. 14, 451. — 16, 308.[1])

Acc. Ἄρην Il. 5, 909.[2])

Ἀρηα Il. 5, 827. — 20, 152.

Ἄρηα Il. 5, 30. 35. 289. 355. 390. 454. 702. 762. 824. 830. 904. 917. — 15, 127. 142. — 20, 78. — 21, 406. 421. — 22, 267. — Od. 8, 309. 330. 345. 518.

His subiciam quae enotavi ex Hesiodo et lyricis: apud Hesiodum est Ἄρης Scut. 192. 441. Ἄρης Scut. 346. 357. — Ἄρηος Op. 145 fragm. 70, 4. — 126, 1. — 131, 2. — Scut. 109. 181. 434. 444 (sic etiam poeta parvae Il. in prooem. v. 2). — Ἄρην Sc. 59. 333. 425. 457.

Ἄρηα theog. 922.

Archiloch. 4, 2 Ἄρης. — 48 Ἄρεω: de metro hic ut saepius in fragmentis quae totum versum non efficiunt dubitari potest: quare, ubi metrum non constat, quantitatis signum omitto.

Simon. Amorg. 1, 13 Ἄρει. — Pisand. 1, 4 Ἄρη.

Tyrt. 11, 7 Ἄρηος.

Anacreon 70. 100, 3. 101, 2 Ἄρης. — 106 Ἀρηιφίλου.

Simonid. Ceus: 102, 2 Ἀρηίθόοι. — 142, 2 Ἄρης. — 140, 1 Ἄρηος.

Sapph. 66 Ἄρευς. — 91, 5 Ἄρευι.

Alcaeus: 15, 1 Ἄρη. — 28 sq.: Ἄρευ. Ἄρευος. Ἄρευα ex Chörobosco: Ἄρευς et Ἄρευος confirmat Herodianus. Cf. Lobeck. path. el. II, 43.

Corinna 11 Ἄρευα.

Simonid. Ceus: 43, 2 Ἄρει. — 106, 2 Ἄρης.

Bacchylid. 36, 2 Ἄρης. — 29, 1 ἀρηίφιλοι.

Apud Herodotum codices fluctuant inter Ἄρεος Ἄρει et

[1]) De his compositis cf. Bekker. hom. Blätt. 179, Schol. A ad Il. 21, 301.

[2]) Sic Herodianus (Schol. A): alii voluerunt Ἄρη' = Ἄρηα, sed cf. Lobeck pathol. el. II, 43. Illud ν idem est quod in Σωκράτην et similibus.

Ἄρηος Ἄρηι (cf. 4, 62; Stein praef. ed. crit. XLIX): Attici habent Ἄρης Ἄρεως Ἄρει Ἄρην vel Ἄρη. Ἄρες.

Denique ab Eustathio ex Herodiano genitivus Ἄρητος affertur, ad quam formam patronymicum Ἀρητιάδης Hes. Scut. 57, de Cycno dictum, pertinet. Haec flexio autem vetustiore aetate in usu fuisse non videtur.

Quodsi omnes illas formas perlustramus, primum inter quattuor stirpes distinguendum esse videmus[1]), Ἀρες, Ἀρεϝ, Ἀρη, Ἀρητ, ex quarum priore deductae sunt formae Ἄρης = Ἄρεσ-ς, Ἄρεος, Ἄρει Ἄρη Ἄρες, ex altera Ἄρευς; Ἄρευος, Ἄρηος, Ἄρεως, Ἄρευι, Ἄρηι; Ἄρευα, Ἄρηα (cf. Ἄρηᾶ Il. 5, 2. Hartel. I, 121), Ἄρευ; ex tertia formae Ἄρεω, Ἄρη, quamquam de his duabus posterioribus dubitari potest; ex quarta denique genitivus Ἄρητος.

Deinde si iam quaerimus quomodo quattuor illae stirpes inter se cohaereant, nescio an ratio possit excogitari qua et causa cur vocalis α producta sit intellegatur et origo nominis quae sit paullo clarius appareat. Ut enim ἡδεϝ (in ἡδεῖα) ex stirpe ἡδυ, πλεϝ (πλέω) ex πλυ, θεϝ ex θυ etc., sic stirps Ἀρεϝ ex simpliciore forma Ἀρυ orta esse mihi videtur: inde aut guna vocalis υ Ἄρεϝ, aut additis suffixis (as, â) Ἄρυεσ, h. e. Ἄρϝ-εσ-, Ἄρεσ-, Ἄρϝ-η-, Ἀρη- prodiisse puto. Quod autem eam quantitatum distributionem, quam, si vera sunt quae posui, exspectamus, (Ἄρηος; Ἄρεος, Ἄρεω) in lingua non severe servatam esse videmus, in eo nemo offendet qui quanta sit analogiae et assimilationis vis secum reputaverit, praesertim cum in ipsa hac voce accentus formarum Ἄρηος Ἄρηι Ἄρηα, qui debebat esse Ἀρῆος etc., quantum video nisi ex analogia formarum Ἄρεος Ἄρει et reliquarum explicari non possit.

Eandem autem stirpem ἀρϝ — ut iam sententiam meam quam brevissime exponam — in omnibus vocibus supra allatis agnosco.

Si enim a radice ἀρ, qua proprie motus significatur qui fit ad aliquem locum (cf. Curt. Grdz. p. 318, et ἄρ-νυμαι), suffixo v(a) stirpem ἀρϝ deductam esse, sensu cupiendi petendi

---

[1]) Sic iam Hartel in „Zeitschrift“ f. d. östr. Gymn. 1871, 603; ubi quarta stirps, quae parvi momenti est, praeteritur.

precandi praeditam, inde, cum homines et sibi bona et inimicis mala precentur, voces illas ambiguas ἀρὴ ἀρᾶσθαι etc. esse derivatas ponimus, tum meo quidem iudicio et significatio vocum et forma bene perspicitur.[1])

Dei nomen autem cum voce ἀρὴ nocendi sensu accepta ita cohaerere mihi videtur, ut Ἄρης proprie sit „numen detestabile". Si enim reputamus, quomodo Graeci Martem sibi finxerint — neque enim bello is ita praeest, ut mente pugnas ordinet eisque tribuat victoriam quibus fato debetur, sed caedes eum iuvant, „ἀνδροκτασίαι τε μάχαι τε", bello numquam satiatur, βροτολοιγὸς est et μιαιφόνος, summo Iovi propter ferocitatem invisus est (Il. 5, 890) — hoc si reputamus, ea etymologia quam posui maiorem probabilitatem videtur habere quam quod Ebel in Kuhn. Z. 14, 80 deum propter virilitatem nomen accepisse statuit (cf. ἀρείων, ἀρετή).[2])

Ἄδην. ἄω. ἀδηκότες etc.

(Pluribus egit his de vocibus Leo Meyer in Kuhn. Z. 22, 467 sqq., neque vero ita ut in mea quaestione hoc munere supersedere possim.)

Primum omnes formas quae huc pertinent aut videntur pertinere enumerabo: postea distinguendum erit.

ἄδην Il. 5, 203. ἅδην Il. 13, 315. — 19, 423. — Od. 5, 290.

Hes. fragm. 94, 2: cuius vocis significationem esse „satis" inter omnes convenit, de scriptura non solum Il. 5, 203 eodem modo atque in voce ἀδδεὲς, sed etiam spiritum quod attinet dubitatur, cum alii (Aristarchus teste Schol. A, Lobeck. path. El. II, 70, Döderl. § 283) ἅδην, alii (Nic. ap. Schol. A; Spitzn., Wolf.) ἄδδην praetulerint.

ἄδος Il. 11, 88: „τάμνων δένδρεα μακρὰ, ἄδος δέ μιν ἵκετο θυμὸν"; ubi Heynii scripturam „μάκρ᾽, ἄδος", a Buttmanno comprobatam ne ferri quidem posse infra videbimus.

---

1) Ad hanc stirpem auctam fortasse pertinet nomen Ἀμφιάραος (cf. p. 68) sic: Ἀμφι-αραϝ-ος, 1) Ἀμφιάρᾱος, 2) Ἀμφιάρεως.

2) Aliorum sententias qui cognoscere vult, videat Buttm. Lex. I, 195, in act. Acad. Berol. 1826 p. 56; K. O. Müller in Mus. Rhen. 2, 28. Döderlein I, 15, (17); Curt. Grdz. 318. Preller I, 262 not. 2.

Iam verbi formas afferam:

ἄσαι Il. 5, 289. — 11, 574. — 15, 317. — 20, 78. — 21, 168. 267. — 23, 157. — 24, 211.

ἄσειν Il. 11, 818. — ἄσῃ Il. 18, 281. — ἄσασθαι Il. 19, 307.

ἄσεσθε Il. 24, 717.

ἄμεναι Il. 21, 70 (ἄμμεναι Vindob., ἅμμεναι edd. vett.; Eustathius novit ἄμμεναι et ἄμεναι; formam simplici μ scriptam tuentur Hesych. s. h. v. et Apollon. cf. Buttm. Lex. II, 130).

Praeterea mira illa forma ἑῶμεν Il. 19, 402 hic poni solet, de qua cf. Buttm. Lex. I, 130 et accuratissime scriptum Spitzneri excursum XXXI. — Apud Hesiodum denique, in Scuti parte recentiore v. 101 vulgo scribitur ἇᾶται, ubi nonnulli codices habent ἄεται vel ἀᾶται.

ἀτος Il. 5, 388. 863. — 6, 203. — 11, 430. — 13, 746. — 22, 218. — Od. 13, 293.[1])

Praeterea vulgo hic afferuntur tres formae

ἀδήσειεν Od. 1, 134: „κλισμὸν . . . ἔθετο . . . ἔκτοθεν ἄλλων μνηστήρων μὴ ξεῖνος ἀνιηθεὶς ὀρυμαγδῷ ἀδήσειεν, ὑπερφιάλοισι μετελθών.“

ἀδηκότες Il. 10, 98, 312. 399. 471: „καμάτῳ ἀδηκότες.“

ἀδηκότας Od. 12, 281: „ἑταρους καμάτῳ ἀδηκότας ἠδὲ καὶ ὕπνῳ:“

in quibus vocibus prorsus eodem modo atque in ἄδδην disceptatur.

Priusquam autem de origine et conformatione omnium illarum vocum quaeramus, commemorandum est apud poetas posterioris aetatis vocem ἄση, verbum ἀσάω in usu fuisse: velut Sapph. 1, 3 ἄσαισι. — Eurip. Med. 245 (in trimetr.). ἄσης. — Alcae. 35, 2 ἀσάμενοι (more aeolico hic flexio in μι est). Theogn. 593. 657 ἀσῶ. 989 ἀσηθῇς.

Iam videamus de singulis, initium capientes ab adverbio

[1]) De ἄητος Il. 21, 395 et αἴητος Il. 18, 410, quae voces quamquam a nonnullis huc trahuntur, sententiam si spectamus et formam, ne possunt quidem huc pertinere cf. Herodian. ap. Schol. B V ad Il. 18, 410; Buttmann. Lex. I, 230, contra Döderl. § 274.

ἄδην, quod minimas difficultates nobis praebet. Cum enim dubitari nequeat, quin Curt. Grdz. 593 et L. Meyer l. l. stirpem „sa“ esse recte demonstraverint, id quoque certum videtur, *ἄδην* ex illa stirpe cum suffixo *-δην* esse compositum. Itaque, cum in hoc suffixo post *δ* j spirantem fuisse idem Curtius l. l. copiosius exposuerit, p. 392 Meyerum qui in Kuhn. Z. 6, 287 post *δ* *Ϝ* fuisse contenderat, refutans, ex vetustiore forma *σαδjην* prodiit *αδδην*, postea *ἄδην*, ut ex *ἀδϜεὲς ἀδδεὲς ἀδεὲς*, ut ex *ὅπϜως ὅππως ὅπως*: quodsi vera sunt quae supra de scriptura vocis *ἀδδεὲς* disputavi, ne hic quidem quin Il. 5, 203 *αδδην*, duplici *δ* scribendum sit, potest dubitari: de spiritu autem, cum *σ* non semper (ne in eadem quidem radice ubique) in asperum transeat, certi quicquam mea sententia effici nequit.

Deinde etiam forma *ᾄδος* quomodo orta sit, si comparamus *βᾰ́-δος* ex radice *βα* deductum, facile intellegimus, *ἆτος* autem ex *ἀσατος* prodiisse non minus patet.

Iam vero verbi formas quod attinet, res nondum ad planum producta esse mihi videtur. Cum enim verbum si ponimus *σάω* = *ἄω* nullo modo perspiciatur, cur in futuro et aoristo *ᾰ* non in *η* productum sit, cur non ut *στήσειν* ex *στα*, *βήσειν* ex *βα*, sic *ἦσειν* ex *ἀ* prodierit — cuius rei L. Meyer l. l. rationem non habuit — equidem nescio quomodo rem explicem quam ut initium capiam a substantivo *ἄση*, quod ex radice *σα* suffixo illo raro quidem, sed non inaudito *σ* [1]) deductum esse mihi videtur: *σα-ση* = *ἄση*. Ab hoc igitur substantivo iam vetustissimo tempore verbum pono deductum esse *σᾰσάω*, fut. *σασήσω* aor. *σάσησα*, inf. praes. *σασᾰ́μεναι* (cf. *οὐτᾰ́μεναι*): deinde *σ* in capite, alterum quod erat inter vocales, praesertim cum in fut. et in aor. *σ* in syllaba proxima sequeretur, eiectum, vocales contractas esse: *ἀήσω* = *ἄσω* etc. Hoc si tenemus, etiam forma *ἑῶμεν*, quae quin „satiandi“ vim habeat non dubito, intellegitur, sc. *σασάομεν* vel *σασάωμεν*, *ἁάομεν*, *ἑάομεν ἑῶμεν*.[2]) Illud verbum *ἀσάω* autem, quod

[1]) cf. *ἄλ-σ-ος*, *ἄψος*, *φάρσος* (Curt. Grdz. 279), *κόρ-σ-η* (sed cf. Curt. 136). *γένε-σ-ις*, *θέ-σ-ις*, *βά-σις*.

[2]) Hesiodea forma *ἄαται* aut syncopata est (h. e. e flexione in *μι* restitit), aut quod probabilius est, a poeta huius carminis ad falsam aliquam analogiam conficta est.

posteriore aetate in usu erat, non iam cum hoc vetere cohaerere, sed, cum vetus obsoleverit, denuo a substantivo *ἄση* deductum esse existimo.

Restant iam illae formae *ἀδήσειεν, ἀδηκότες, ἀδηκότας,* ubi non iam solum id quaeritur, quomodo ex stirpe *σα* prodierint, sed etiam num omnino ad eam stirpem pertineant.

Quodsi iam diligentius significationem respicimus, primum Od. 1, 134 „satiandi" verbum suo loco non esse fatendum est, antecedente voce *„δείπνῳ"*, cum nemo rei satietatem possit habere, nisi ipsa illa re satiatus sit: hic autem hospes strepitu procorum satiatur, non edendo: et quis tandem nostratium dicat „er hat das Essen satt", cum significare vult illum alia de causa edere non velle?

In reliquis autem locis, quamquam non tam confidenter satianti significationem ineptam esse contenderim, tamen cum vim vocis *κάματος* (= fatigatio, cf. *καμάτῳ δεδμημένος, κάματος λάβε γυῖα*) et *ὕπνος* (hic = „dormiendi cupiditas", ut Hor. 3, 4, 11 ludo fatigatumque somno) diligentius considero et confero Od. 6, 2 *„ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος"*, etiam hic potius verbum exspecto quo significetur illos propter fatigationem et somnolentiam ut ita dicam male se habere. — Conformationem autem si spectamus, quomodo hae formae cum stirpe sa consiliari possint ego non magis video quam Leo Meyer, neque me movet, quod Curt. Grdz. 593 scribit *„ἔδμεναι ἄδην* (cf. *ἀδηκότες*)", cum ex adverbio *ἄδην* verbum *ἀδέω* prodiisse neque analogiis confirmetur neque per se possit putari.

Itaque cum nec forma nec significatio ad „satiandi" stirpem sa quadret, cur non eam potius circumspicimus etymologiam in qua tales difficultates vitentur? Si autem quaerimus num iam veteres tale aliquid excogitaverint, statim nobis occurrit Eustathius, qui *„ἀηδῶς ἔχοντας"* interpretans compositionem stirpis *ἡδ(ομαι)* cum *α* privativo agnovit: quo etiam Schol. B ad Od. 12, 281, ubi Buttm. in Lex. I, 127 sq. pro inepto *„ἀηδησθέντας"* *„ἀηδισθέντας"* restituit, et Schol. ad Od. 1, 134, cum *ψίλωσις* exemplo *ὦ ἕταιρε ὤτειρε* defendatur, pertinent: quae interpretatio quamquam sic nude posita ea de causa non sufficit, quod *α* privativum ad verba non accedit, tamen significationem radicis *ἡδ* = *σϝαδ* si spectamus (Skrt.

svadê = „lasse mir schmecken", quod optime quadrat ad Od. 1, 134), tam apta atque vera videtur, ut eam defendere coner. Puto enim a radice σϝαδ cum α privativo adjectivum esse deductum, quo is significatus sit „qui non bene se habet", „cui male est", ἄ(σ)ϝαδος (cf. ἄδικος, ἄγαμος, ἄθυμος, ἄστεγος, ἄλυπος)[1]: inde verbum derivatum esse ἀϝαδέω, ἀδέω (cf. ἀθυμέω) = gaudio esse destitutum", „male se habere".

Una tamen restat difficultas in eo posita, quod in perfecti formis ἀδηκότες, ἀδηκότας reduplicatio desideratur: quam difficultatem exemplo formarum ἄνωγα, ἀκαχμένος si non tolli, attamen levari existimo.[2])

ἐ ά ω.

In verbo ἐάω non solum quod augmentum accipit ει, sed etiam quod in formandis temporibus α vel in Iade non in η, sed in α producitur iam pridem viris doctis maximas difficultates praebuit: quae res neque ad finem perducta est neque quomodo perduci possit video. Formae homericae autem, quae huc pertinent, hae sunt.

Fut. ἐάσει Il. 15, 73. — 17, 449 (cf. tamen Scholia). — 18, 296.
ἐάσει Il. 18, 282. — Od. 14, 444.
ἐάσομεν Il. 5, 517. — 9, 701. — 18, 112. — Od. 14, 183.
Aor. augmento non instructus: ἔᾱσε Il. 4, 226. — 15, 87. — 20, 456.
ἐάσῃς Il. 5, 684 (Hymn. 3, 189). — ἐάσειε Od. 4, 118.
ἔᾱσον Il. 8, 243. — 21, 221 (cf. Spitzn. Exc. XXXI).
ἐάσατε Il. 22, 416 (ἐᾶσαι Hes. Op. 342).
cum augmento: εἴασε Il. 8, 125 (Hes. Scut. 424).

In praesenti α corripitur velut in ἐᾷ Il. 8, 413. ἐᾷς Od. 11, 110. 12, 137.

Nonnullae deinde formae exstant aut contractae aut synizesi pronuntiandae:

ἔᾳ Il. 5, 256: quod Draco 7, 16 aliique ex ἐάᾳ apocopa

---

[1]) Contra ἀ-ηδ-ής „qui non placet".

[2]) Nescio an id quoque in hac re alicuius momenti sit, quod hae perfecti formae praesentis vim habent.

ortum esse rati ἔα scribere voluerunt: quam sententiam Herodianus refutavit: cf. Lobeck p. l. l. II, 274. 308.

ἔα Il. 5, 517. — ἐάσουσι Od. 21, 233. — ἐῷ Od. 20, 12. εἴας Il. 5, 819.

Denique formae iterativae leguntur velut ἔασκεν Il. 24, 17. — εἴασκεν Il. 20, 408.

Huius verbi etymologiam (unde et mirabilis augmenti forma et ᾱ vocalis cur servata sit satis appareat) non perspici cum Bekkerus in „hom. Blätt." 48, tum Curt. Erläut. 97 confitetur, neque multum nos invat hac in re Hesychii glossa ἔβασον . ἔασον (cf. Ahrens d. d. dor. 49 not. 23).

Quae autem de hac voce prolata sunt, minime satisfaciunt, cum neque Kraushaarius, qui in Curt. Stud. II, 429 hoc verbum ex as- vajâmi = ἐσϝαjω ἐϝαjω εἰαjω explicare studuit, neque Leo Meyerus, qui Kuhn. Z. 21, 472 Buggium secutus radicem σεϝ, verbum σεϝάω esse contedit, ullo modo in futuro et aoristo illud ᾱ explicaverint.

Itaque cum hac de re nec certi quicquam nec probabile proferre possim, missam eam faciamus.

ἔα.

Quater apud Homerum prima Imperfecti persona est ἔα:

Il. 4, 321: εἰ τότε κοῦρος ἔᾱ νῦν αὖτέ με γῆρας ἱκάνει.

Il. 5, 887. . . . ἔᾱ χάλκοιο.

Od. 14, 352 ἔᾰ ἀμφὶς : hic quoque α proprie produci ex hiatu apparet.

Contra Od. 14, 222 τοῖος ἔ'ἐν πολέμῳ : ubi Bekkerus eo nisus quod in Schol. A ad Il. 5, 887 citatur „τοῖος ἔα ἐν πολέμῳ" proposuit „τοῖος ἔα 'ν πολέμῳ assentiente Hartelio I, 73. Mea autem sententia cum productio saepius in eadem voce tum servetur, tum non servetur, mutatione carere possumus.[1])

Praeter formam ἔα prima persona apud Homerum est aut ἦα aut ἔον:

ἦα [Il. 5, 808 in versu qui in Aristarchi libris non iam legebatur]. Od. 2, 213. — 10, 156. — 11, 620. — 12, 368.

[1]) Chöroboscus 866 (cf. Lobeck p. el. II, 80) ἔα bibreve fuisse dicit, haud dubie Herodotum, qui hac forma utitur, spectans.

14, 212. — 16, 472. — 18, 229. — 19, 19. 549. — 20, 310. — 21, 95.

ἔον Il. 11, 762. — 23, 643: ubi ἔον codd., Eustath., ἔην Etymol. M.: priore loco vel libri fluctuant: cf. Buttm. Gr. 1, § 108, p. 551. Spitzn. ad h. l., Curt. Stud. II et IV, 478. Hartel I, 66 ff.: ἔην nisi in tertia persona, metathesi ortum ex ἦεν, ferri non potest.

Quodsi iam omissis Scholiastarum nugis de origine formae ἔα quaerimus, primum audiamus Hartelium qui I, 64, ubi pluribus hac de re agitur, productionem ex vetustissimo tempore remansisse his verbis contendit: „In ἔα hat also das Griechische die ursprüngliche Qualität und Quantität des Vokals gewahrt, welche letztere das lateinische erăm und Samskrit âsam einbüssten": sed nescio unde tandem in conformando imperfecto illa vocalis productio venerit, cum a radice as Imperfectum augmento instructum sit âsam ἦσαν ἦαν, inde aut ἦν aut ἦᾰ, augmento non instructum asam ἔσαν ἔαν, inde aut ἔον aut ἔα, ut ex εἶπαν εἶπον aut εἶπᾰ.

Quod autem Hartelius etiam ex radice, „a" suffixo auctam, asa, imperfectum conformatum esse dicit, id, quamquam verum esse potest, tamen nil facit ad nostram rem, cum ante suffixum m etiam in radicibus in consonam exeuntibus vocalis interponatur: unde consequens est nil interesse utrum asam ex as-a-m an ex asa ortum esse putemus.

Ad id igitur tota haec quaestio redit, num in forma ἔα apud Homerum vestigium veteris illius ν h. e. in vocali pronuntiationem quandam nasalem quae postea evanuit agnoscamus, syllabam α igitur tribus locis supra allatis positione productam esse putemus: id quod facere non dubito.

De Genitivis plur. in άων.

Genitivum plur. in prima quae vocatur declinatione apud Homerum plerumque in άων, rarius in εων, rarissime in ων exire tam notum est, ut exemplis vix opus sit (cf. Krüg. 15, 5; Ribb. p. 14): quae conformatio ab aliis dialecto aeolicae, ab aliis boeoticae tributa est, de qua re cf. Lobeck p. el. II, 79, Hinr. 92. — Simili modo in Indica quoque lingua pro solita terminatione âm (graece ων) in stirpibus in

a et â exeuntibus plenior forma in usu erat, velut gatâ-nâm, eademque in vetustiore Germanorum lingua (cf. gĕbono). Cum autem causa non perspiciatur, cur illud n, si apud graecos quoque erat, eiectum sit, eis assentiendum est, qui ante terminationem *ων* non n, sed idem illud s fuisse putant, quod apud Indos in vetustissima substantivorum declinatione, deinde vero in pronominum flexione exstat (cf. Bopp I, 487 ff, Schleicher 455 f, Düntzer Decl. 87): quod in adjectivorum et pronominum flexione apud Gotos servatum est, in latina lingua et in vetustiore theodisca in r transiit.

Vetustissimo igitur graecitatis tempore formae erant *τιμᾱ-σων, μελιττᾰ-σων*: unde expectaveris *τιμήων, μελιττάων*. Videtur autem simile aliquid accidisse atque in dativis plur., sc. ut duae flexiones ita miscerentur, ut ex utraque aliquid remaneret, quantitas vocalis ex stirpibus in *ᾱ*, qualitas ex alteris.[1])

Jam paucas eas voces afferam in quibus *α* vocalis iam in vetustissima graecitate producta ea de causa videtur servata esse, quod cum in vulgarem Ionum sermonem non transierint, ex vetustiore poesi immutatae in Homeri carmina receptae sunt.

θεά.

Tres maxime casus vocis *θεὰ* huc pertinent:

θεά̄ : sic ubique apud Homerum (cf. Il. 1, 55. 206. 280. 595. 2, 166. — 3, 425. — 5, 767. — 9, 410. 14, 194. 243. — 15, 76. — 18, 127. 146. 182. 381. — 19, 28. 407. — 21, 109. — Od. 2, 392. — 4, 767. — 5, 215. — 13, 391. — 15, 234. — 20, 61.)

θεᾶς cf. Il. 14, 315. — Od. 10, 310. — 24, 535.

In dat. plur. ut iam supra commemoravi *ᾱ* et *η* inveniuntur: *θεαῖς* Od. 5, 119. *θεῇς* Il. 3, 158. *θεῇσιν* Il. 8, 305. — 19, 286.

Accusativum *θεὰν* legimus apud Hesiod. th. [196]. 888; dativum *θεᾷ* in Hymn. 3, 168. — 4, 210.

---

[1]) Qui ante *-ων* Ϝ litterum fuisse contendunt (Thiersch 286 (§ 183, 10 not.; Reimnitz „d. System d. gr Decl." p. 133), non habent quo nitantur.

α vocalis quae in hac voce vel apud posterioris aetatis poetas[1]) et scriptores servata est, in compositis iam in ipsis Homeri carminibus in *η* videtur transiisse, unde sequitur composita in Ionum sermone fuisse, simplicem vocem non fuisse: quamquam interdum iure potest dubitari, num talia composita non potius ad stirpem verbi *θεάομαι* pertineant.

Velut in voce *ἠγαθέη* de urbibus dicta (cf. Il. 1, 252), si comparamus *ἀγαυὸς, ἀγαίομαι*, quomodo deorum mentio accipienda sit non perspicitur: contra si -*θέη* cohaerere putamus cum verbo *θεάομαι*, subst. *θέα*, tum vertere possumus „quae cum admiratione aspicitur“, h. e. „admirabilis“, „magnifica“.

Sic etiam nomen *Πασιθέη* Il. 14, 269? 276, cum recordor versus Tyrtaei 10, 29 „*ἀνδράσι μὲν θνητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς δὲ γυναιξὶν*“, potius interpreter „quam omnes admirantur“ quam „die all-erflehte“ (Curt. Grdz. 473) aut „in allen Stücken eine Göttin“ (Pott Kuhn. Z. 6, 42).

De reliquis huius generis nominibus (*Ἀμφιθέη* Od. 19, 416. *Εἰδοθέη* Od. 4, 366, *Λευκοθέη* Od. 5, 334) nunc nil certi statuerim: moneo tamen in nomine *Λευκοθέη* iam Scholiastas de alia etymologia (a verbo *θεῖν*) cogitasse.

Priusquam autem ad alia progrediar, pauca mihi liceat afferre exempla, quibus vocem re vera in vulgarem sermonem certe Ionum et Atticorum non transiisse demonstretur. — Primum hoc iam inde apparet, quod vel apud poetas saepissime forma *θεὸς* deae quoque significantur, velut Il. 8, 7 „*μήτε τις οὖν θήλεια θεὸς τόγε, μήτε τις ἄρσην*“ . . ., Lamprocl. 1, 1; Carm. popul. 42, 2; Soph. El. 150 aliisque locis permultis. — Multo clarius autem id apparet, si apud scriptores, qui quidem non ubique poeticum colorem sibi assumpserint, eos locos diligentius aspicimus, ubi forma *θεὰ* posita est: cuius rei exemplum apponam. Cum Xenophon Anab. 6, 6, 17 Agasiam haec dicentem facit: „*ὦ ἄνδρες, ὄμνυμι θεοὺς καὶ θεὰς ἦ μὴν* . . .“, quis in his verbis iuris iurandi formulam vetustioris aetatis signum prae se ferentem non agnoscat? Tamen ne in tali quidem formula vocem semper retentam esse ex alio ipsius Xenophontis

[1]) cf. Hermann ad. Hymn. 4, 183. Meineke ad Callim. hymn. in Jovem v. 37.

loco (ib. 7, 6, 18) discimus, ubi verba sunt „ὀμνύω γὰρ ὑμῖν θεοὺς πάντας καὶ πάσας", quibuscum conferri potest Dem. d. cor. 1; „... τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις" et ib. 144: „καλῶ δὲ ... τοὺς θεοὺς ἅπαντας καὶ πάσας".

Quodsi ne in tali quidem dicendi genere illa vox resedit, tum sane iam dudum ex animo et memoria populi abalienata fuisse putanda est.

Ἑρμείας. Αἰνείας. Αὐγείας. Ναυσικάᾱ. Ῥέα.

Haec quoque nomina ex vetustiore poesi sumpta esse nemo negabit, qui Rheam Nausicaam Aeneam Augiam, nisi in ipsis carminibus aut in recordatione certi alicuius carminis vix umquam commemoratos esse, dei nomen autem Ionibus, qui eo tempore quo carmina homerica orta sunt iam forma multo breviore Ἑρμῆς utebantur, quasi alium visum ideoque forma non mutata receptum esse secum reputaverit. Itaque de etymologia nominum securus quam brevissime eas formas afferam quae ad rem propositam pertinent:

Ἑρμείᾱς Il. 2, 104. — 16, 185. — 20, 35. — 24, 457. 461. 469. 690. 694. — Od. 1, 42. — 5, 196. — 8, 323. — 10, 277. 307. — 11. 626. — 19, 397. — 24, 10. —

(Ἑρμείαο Od. 12, 390. — 15, 319. Ἑρμείω Il. 15, 214.)

Ἑρμείᾱν Il. 24, 333. 353. 679. — Od. 1, 38. 84. — 5, 28. 85: in qua forma codices interdum η praebent.

Ἑρμείᾱ Il. 24, 334. — Od. 5, 29. 87. — 8, 335.

Praeterea autem hac formae proprie ionicae exstant:

Ἑρμῆς Il. 20, 72. — Od. 5, 54. — Ἑρμῇ Od. 14, 435.

Ἑρμῆν Od. 8, 334. — Ἑρμέῃ Il. 5, 390: sic recte Spitzn. Thiersch. Bekk. pro vulg. Ἑρμέᾳ scribendum esse censuerunt.

Apud Hesiodum inveni

Ἑρμείαν Op. 68 ubi pauci codd. Ἑρμείην.

Ἑρμῇ theog. 444. — Ἑρμῆν th. 938.

Ἑρμάων fragm. 46, 1: cf. Corinna 11: Ἑρμᾶς.

Pleniores formae Alexandrinorum demum aetate η vocalem receperunt. [1])

[1]) De nominis origine conferat qui volet Döderl. III, 351 (2483); Kuhn. in Haupt. Z. 6, 117 sqq., contra Bergk. Philol. 14, 389. — Welcker

Αἰνείας : ter et tricies in Iliade.

Αἰνείαο Il. 5, 263. 305. 323. 559. 564. — 13, 509. — 16, 614? — 20, 175. 263. 267. 274. 293. 307. 323.

Αἰνείω Il. 5, 534: sic Thiersch. 178, 26. Bekk.; in Etym. M., Heyn. Wolf. *Ἀ'νείεω*. [1])

Αἰνείᾳ Il. 5, 272. 432. 450. — 6, 75. 13, 494. — 17, 758.

Αἰνείαν Il. 5, 378. 435. 445. 512. — 8, 108. — 11, 58. — 13, 459. 477. 482. — 16, 536. — 17, 323. 484. — 20, 79. 311. 325. — 23, 292.

Αἰνείᾱ Il. 5, 180. 230. — 6, 77. — 13, 463. — 16, 620. — 17, 327. 485. — 20, 83. 178. 332.

Αἰνέας Il. 13, 541: ubi iam veteres de scriptura dubitabant: cf. Schol. A. BL et Spitznerum.

Αὐγείας Il. 11, 701.

Αὐγείαο Il. 11, 739: cf. *Αὐγηιάδαο ἄνακτος* Il. 2, 625.

(*Αὐγειὰς* Il. 2, 532 . 583 oppidum Locrorum).

Ναυσικᾰᾱ nom. Od. 6, 17. 101. 186. 213. 251. 8, 457.
voc. Od. 6, 25. — 8, 464.

Ναυσικάᾳ Od. 6. 276.

Ναυσικάᾱν Od. 6, 49. — 7, 12.

Ῥεία: in hac voce de vocali non satis constat, cum Il. 15, 187 *οὓς τέκετο Ῥέα*, quae Veneti scriptura est, in Vindobb. et Rom., ut iam desideravit Eustathius, scriptum sit „*οὓς τέκε Ῥείη*“, itemque Il. 14, 203 pro *Ῥείας*, quod Aristarchus voluit et Aristophanes (Schol. A) assentiente Bekkero, codicibus tradatur *Ῥείης*.

Conferamus igitur Hesiodum et hymnos, ubi saepius hoc nomen occurrit:

Hes. theog. 135: *Θείαν τε Ῥείαν τε.*

„ „ 453: *Ῥεῖα δ' ὑποδμηθεῖσα*: ubi alii *Ῥείη ὑποδμ.*, aut *Ῥείη δ' αὖ δμ.*

„ „ 467: *παῖδας ἑοὺς κατέπινε· Ῥέην δ' ἔχε πένθος ἄλαστον.*

---

gr. Götterl. 1, 342. — Preller Myth. I, 307 not. 1. M. Müller Lect. II, 468. Curt. Grdz. 324.

[2]) In inscriptionibus quavis vocali, in Herodoti codd. ε antecedente ω, non εω scribitur in masculinis primae declinationis.

Hes. theog. 625: οὓς τέκεν ἠύκομος Ῥείη Κρόνου ἐν φιλότητι.
„ „ 634: οὓς τέκεν ἠύκομος Ῥείη Κρόνῳ εὐνηθεῖσα.
Hymn. 1, 93 Ῥείη τε. — 3, 43 Ῥείη Ζεὺς.
4, 442 Ῥείην ἠύκομον:

Quodsi omnes hos locos cum perlustramus ultimae productionem theog. 453 facillime restitui posse, ubique aptam esse, ter vel quater desiderari videmus, nec Göttlingio possumus assentiri, qui ad theog. 135 (cf. Accentlehre 131) quantum fieri posset Ῥεῖα restituere voluit, nec Pottio qui in Kuhn. Z. 5, 281 (cf. etym. Forsch. II, 178) in hoc nomine breviorem formam vocis εὐρεῖα (sc. γῆ) agnovit.

De quantitate syllabae igitur iure dubitari posse non videtur, alteram autem quaestionem, utrum ᾱ an η scribendum sit, ad certum finem perducere non ausim, sed satis habeo demonstrasse quomodo ᾱ vocalis, si quidem servata est, explicanda sit.

Μὰν.

Apud Homerum illius particulae, quae attice est μὴν, duae formae exstant, μᾱν [1]) et μὲν, apud posterioris aetatis scriptores Ionicos tantum μὲν invenitur.

μᾱν his locis exstat: Il. 2, 370. — 4, 512. — 5, 765. 895. 7, 459. — 8, 373. 512. — 12, 318. — 13, 354. 414. — 14, 454. — 15, 16. 476. 508. — 16, 14. — 17, 41. 415. 429. 448. 538. — 22, 304. — 23, 441. — Od. 11, 344. — 17, 470.

μὲν significatione attici μὴν e. c. Il. 14, 275. Od. 4, 254. Herodot. 2, 179: plura dabit Hinr. l. l.: quam formam breviorem sensu gravioris ne ab attico quidem sermone prorsus alienam esse constat: cf. Krüger. I, 69, 35.

Itaque cum tres illae formae μᾱν μὴν μὲν significationem si spectamus optime inter se conciliari possint, ne de origine quidem dubitari potest quin ex μᾱν apud Atticos = Iones μὴν, inde μὲν prodierit. Cum autem in Iade certa vestigia

[1]) hoc interdum in μὴν depravatum est a librariis: cf. de his vocibus Hinr. 75 sqq.

formae *μήν* non inveniantur, iam eo tempore quo carmina homerica Ionibus tradita sunt, pleniorem illam formam evanuisse brevioremque solam in usu fuisse putaverim, neque Dorismum (Schol. V ad Il. 15, 16) aut Aeolismum in forma *μάν* agnosco, sed eam ex vetustissima poesi receptam esse existimo. Si quis vero quaerat, cur non potius ubique forma proprie ionica *μὲν* adhibita sit, nescio an id eo explicandum sit, quod in affirmandi particula, quae in iure iurando maxime adhibebatur, sonitus quam plenissimus et gravissimus praecipue in poesi quasi desideratur: quamquam hac in re fortasse fallor.

Vocibus modo tractatis duas subiciam, quarum condicio paullo alia est, cum etiam posteriore aetate in sermone vulgari fuerint.

ἆ.

Quod interjectio *ἆ,* quae proprie non vox, sed sonus ut ita dicam inarticulatus, apud omnes gentes omni aetate idem est, apud Iones non transiit in *ἦ,* quo sono prorsus alius animi habitus significatur, id nemini opinor mirum videbitur.

Exstat autem haec vox apud Homerum Il. 11, 441. 452. — 16, 837. — 17, 201. — Od. 11, 618. — 21, 86.

ψάρ.

Il. 17, 755 legimus: „*τῶν δ' ὥστε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν οὖλον κεκλήγοντες* . . .“, contra Il. 16, 583: (*ἴρηκι ὁμοίως*) *ὠκέι ὅστ' ἐφόβησε κολοιούς τε ψῆράς τε*“: videmus igitur in genitivo *α* retentum esse, in accusativo mutatum. Quam varietatem Scholiastae ex euphoniae studio explicare studuerunt itemque Gellius, cuius verba apponam (XIII, 21, 25): „Illud vero cum primis apud Homerum veteres grammatici adnotaverunt, quod, cum dixisset quodam in loco *κολοιούς τε ψῆράς τε,* alio in loco non „*ψηρῶν τε*“ set *ψαρῶν* dixit . . . secutus non communem, sed propriam in quoque vocis situ iucunditatem; nam si alterum in altero loco ponas, utrumque feceris sonitu insuave.“

Sed haec causa mihi verum ut fatear nulla videtur neque video cur in hac maxime voce id quasi horribile auditu evita-

tum sit, quod sexcenties admissum est (cf. κράατα, λᾶας, ἀρὰς ἐπᾶρὰς)[1]: alia igitur causa circumspicienda est, unde non tam quod ψῆρας dictum sit, quam cur in ψαρῶν α remanserit intellegamus. Qualis causa cum ex eis quae de vocis origine prolata sunt, velut a Curtio Grdz. 331. 656, Joh. Schmidt z. Geschichte d. indg. Voc. II, 457, non appareat[2]), meam sententiam, quamquam paullo periculosiorem eam esse ne ipse quidem infitior, tamen indicabo.

Cum enim talia animalium nomina confero qualia sunt κόκκυγξ, κόραξ (hic suffixum maxime attendendum est), bubo = βύας, ulula, bülbül apud Persas et Arabes (= luscinia), βάτραχος (cf. Roscher Curt. Stud. IV, 189), βαΰς (= κύων: cf. Bergk. ad fragm. adesp. 26), magis magisque eo adducor ut avem de qua agitur, proprie de clamore[3]) appellatum esse putem, ψάρ. Talia autem nomina in linguis aut ad solitas communesque leges tractantur, aut si origo in memoria magis resedit, intacta servantur vel potius ad eandem sonum semper quasi denuo finguntur: velut graeco κόκκυγξ in vetere lingua theodisca respondet gouh (Curt. Grdz. 145), nos rursus forma onomatopoeetica utimur. Sic igitur cum forma ψᾶρῶν poneretur, magis de clamore avis cogitatum esse, cum ψῆρας, non iam cogitatum esse existimaverim.

II.

De eis vocibus quae ex aliis dialectis aut linguis petitae sunt.

Ex vocibus aliunde petitis primum huc pertinent formae aeolicae πολυπάμων, ἀμὸς, deinde φᾶρος et nomina quaedam propria.

[1]) „Veteres“ illi grammatici haud dubie id tantum explicuerunt, cur non ψᾶρας dictum esset, de forma ψαρῶν, cur non esset ψηρῶν nil proferentes: ibi quoque ubi ne species quidem causae potest excogitari iucunditatem invenire uni Gellio contigit.

[2]) Quod apud Hesych. ψαρὸν· ποικίλον exstat (cf. Aristoph. Nub. 1227), non cum Schwenckio (Mus. Rhen. 11, 460) avem de colore, sed potius colorem de ave vocatum esse putabimus; cf. L. Meyer in Kuhn. Z. 5, 385.

[3]) avem homericam „ψὰρ“, quae duobus illis locis cum „κολοιοῖς“ coniungitur, prorsus eandem esse atque sturnum pro certo constare non mihi videtur.

Videamus igitur de aeolicis illis vocibus:

πολυπάμων.

In versu Il. 4, 433 „. . . ὥστ' ὄϊες πολυπάμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ", quae est scriptura nonn. codd., a Schol. AD confirmata, Schol. L Eustathius plerique codices habent formam πολυπάμμονος duplici μ scriptam.

Jacobus Grimm, qui olim copiose egit de voce „πέπαμαι" (Abhandl. I, 124—128), radicem eandem esse putavit quae est in pa-sco, ut vox proprie de pecude, deinde de pecunia possessa accepta sit: qua ratione magnis difficultatibus obnoxia longe probabilior ea est quam Curtius Grdz. 254. 265 iniit, sc. radidicem pa, quae est in πο-τ-νια et Skrt. patis, hic conspici. Hunc secuti Brugm. 100 et Hinr. 59 ex πα-τ-μα πασμα vel παθμα πασμα, more aeolico πάμμα et sic πολυπάμμων ortum esse sibi persuaserunt. Cum autem verbum πέπᾱμαι, quod iam vetustiore aetate apud lyricos invenitur[1]) et, quod cognoscitur ex servata vocali â, in Iadem et Atthidem aliunde receptum est, aperte a breviore radicis forma πα deductum sit, cur non ad verbum πέπᾱμαι substantiva πᾶ-μα, πά-μων, ut ad κέκτημαι κτῆ-μα, κτήμων pertinere itemque ex Aeolide sumpta esse putemus? Ex illa enim dialecto, non ex dorica (Schol. AD; Muret. v. l. II, 20) has formas fluxisse, quae iam sententia est Schol. L, Lobeck. pathol. 168, Hinr. p. 59, id mihi quoque constat, cum Doridis vestigia apud Homerum non exstent: in eo tantum ab illis dissentio, quod simpliciorem explicandi rationem amplexus πολυπάμονος scribendum esse censeo, non geminata littera μ.

ἀμός (potius ἄμμος).

Septies apud Homerum pronomen quoddam possessivum ad primam personam pertinens exstat, quod ἀμὸς scribi solet: Il. 6, 414. — 8, 178. — 10, 448. — 13, 96. — 16, 830. — Od. 11, 166 = 481: qua cum voce conferenda est forma ὑμὸς = ὑμέτερος Il. 5, 489. — 13, 815. Od. 1, 375. — 2, 140. — 9, 284.

[1]) e. c. affero Theog. 146 πᾱσάμενος; 663 πέπᾱται. Sol. 13,7 πεπᾶσθαι. Etiam apud tragicos haec vox non raro legitur.

Sentententiam quod attinet — ut iam hac de re dicam —, ἁμὸς ad pluralem spectare quinque locis viri docti concedunt, duobus, meo quidem iudicio non recte, negare solent. Primum enim Il. 6, 414, ubi in verbis Andromachae „ἤτοι γὰρ πατέρ' ἁμὸν ἀπέκτεινε δῖος Ἀχιλλεύς" iam Herodianus et Demetrius (cf. Scholia), ex recentioribus Ribb. 35, Hinr. 74 ἁμὸν singularis sensu accipiunt, Andromacham, quae paucis versibus post septem fratres commemoret, iam hic de fratribus cogitantem mihi fingo, altero autem loco a Ribb. et Hinr. in hanc partem vocato, Il. 8, 178 res etiam manifestior esse mihi videtur: hic enim Hector, postquam Troas et Lycios ut fortiter se gerant cohortatus est, haec verba addit:

„γιγνώσκω δ' ὅτι μοι πρόφρων κατένευσε Κρονίων
νίκην καὶ μέγα κῦδος, ἀτὰρ Δαναοῖσί γε πῆμα
νήπιοι οἳ ἄρα δὴ τάδε τείχεα μηχανόωντο
ἄβληχρ' οὐδενόσωρα· τὰ δ' οὐ μένος ἁμὸν ἐρύξει":

„non retinebunt nostrum, h. e. Troum et Lyciorum impetum."

Itaque cum de significatione vocum ἁμὸς et ὑμὸς, certe apud Homerum — nam posteriore aetate rem perturbatam esse non ignoro — constare videatur, si iam quaerimus de origine, a vetustissimis stirpium formis asma et jusma, quae ex accusativis Indicis asmâu et Jushmân facile cognoscuntur, proficiscendum est.

Ac primum quidem spiritum quod attinet, in prima persona lenem, in secunda asperum exspectari videmus, quod discrimen in graeco sermone servatum non esse scimus. Deinde vero formas aeolicas ἄμμος ὔμμος (Ahrens. gr. gr. § 39 n. 6), doricas et boeoticas ἁμὸς ὑμὸς, ionicas = atticas ἡμέτερος ὑμέτερος alio modo conciliare non poterimus, quam ut eo tempore quo vetusta graeca lingua in dialectos discessit formas fuisse ponamus ἀσμὸς (ἀσμέτερος), ὑσμὸς (ὑσμέτερος): inde peculiari dialectorum more apud Dores ἁμὸς ὑμός, apud Aeolos ἄμμος ὔμμος, apud Iones = Atticos primum (ἁμὸς) ἁμέτερος, (ὑμὸς) ὑμέτερος, postea ἡμέτερος ὑμέτερος prodiisse. Unde apparet formas ἁμὸς et ὑμὸς in Homeri carminibus, cum neque ex vetustissima poesi — ubi erat ἄσμος ὑσμὸς — neque ex Aeolide petita esse possint, probabilitatem non habere: quare equidem nullus dubito quin aeolicae formae ἄμμος ὔμμος Ho-

mero restituendae sint, Ahrensio plane assentiens qui „pronomina, ἄμμος et ὔμμος scripta, tralaticia lectione oblitterata esse“ suspicatus est. In his autem pronominibus Aeolismus eo facilius agnoscitur, quod etiam formas ἄμμες ὔμμες ἄμμι ὔμμι ex Aeolide sumptas esse satis constat.

φᾶρος.

In voce φᾶρος α apud Homerum semper producitur: Il. 2, 43. — 8, 221. — 18, 353. — 24, 231. 580. 588. Od. 2, 97. — 3, 467. — 5, 230. 258. — 6, 214. — 7, 234. — 8, 186. 392. 425. 441. — 13, 67. 108. — 16, 173. — 19, 138. 142. — 23, 155. — 24, 132. 147.

Sic etiam in Hymn. 1, 121 φάρεϊ, apud Xenophan. 3, 3 φάρε' legitur: apud Hesiodum autem Op. 198 (ubi „φᾰρέεσσιν“ Hermannus emendavit in „φάρεσσι“) et Alcm. 16 (pag. 835) correptio vocalis valde dubia est.[1]

De origine vocis veteres, cum eam a verbo φέρω derivatam esse contendunt (ABLV dd Il. 2, 42, fortasse etiam H ad Od. 13, 67), idem fere senserunt, quod Curtio visum est, qui in Grdz. 281 sub radice bhar = φέρ-ω dicit: „φᾶρος erinnert an ‘Tracht’ im Sinne der Kleidung.“

Hanc autem sententiam propter formam improbabilem esse, propter significationem ne ferri quidem posse mihi persuasi. Si enim φᾶρος a radice bhar = φᾰρ deductum esse putamus, α vocalis productio alio modo explicari nequit, quam ut aut j aut ϝ post ρ littaram fuisse concedamus: cum autem j ante suffixum ος quod sciam numquam[2]), ϝ fortasse in una voce οὖρος = ὄρϝος inveniatur, uti dixi illa etymologia probabilitate non commendatur.

Multo magis autem significatio repugnare videtur, cum φᾶρος proprie non „vestem, quae fertur“, sed nil aliud significet quam „pannus“, „Tuch“: sic Od. 5, 258 ex „φάρεσι“ vela conficiuntur, saepissime autem vox usurpatur de panno quo mortuus tegitur velut Il. 18, 353. 24, 580. 588. Od. 2, 97.

---

[1]) De tragicorum usu cf. Passow. lex., de recentiorum epicorum Schraderum ad Musaeum p. 296.

[1]) Nisi forte forma τείρεα Il. 18 485 in hanc partem possit vocari.

— 19, 138. 142. — 24, 132. 147: cf. Il. 24, 231, ubi eadem *φάρεα* Achilli dono destinantur, quibus postea corpus Hectoris tegitur. Ex aliis deinde locis utrum amictus an pannus intellegendus sit non potest cognosci: (Il. 24, 231) Od. 8, 392 = 425; 441 = 13, 67.

Contendo igitur hanc vocem quamquam reliquis novem locis de vestimento, h. e. de amictu usurpatur, tamen cum haec significatio aeque atque in latino „pannus“ (cf. Hor. C. 1, 35, 21) aperte posterior sit, a ferendo vocari non potuisse.

Neque vero altera Scholiastarum sententia, vocem cohaerere cum *ὑφή ὑφαίνειν,* quam Döderl. 1, 114 (171) amplexus est, quamquam significationi satisfacit, cum contra linguae leges excogitata sit, probari potest. Quae cum ita sint, haec vox non graeca, sed ab Ionibus aliunde petita esse mihi videtur: quae vero vox et cuius linguae fuerit, pro certo dicere non possum.

Tales autem res quales sunt vestimenta, suppellectiles, instrumenta, quarum usum alia gens ab alia didicit interdum externis quoque nominibus significari et per se non improbabile est et exemplis confirmatur satis multis: velut *χιτὼν* manifesto ex radice כתן (h. e. *χ-ϑ-ν:* unde *κιϑὼν* et *χιτὼν*) ortum est: cf. כְּתֹנֶת iam Gen. 37, 3. Exod. 28, 4, chald. כִּתָּן, syr. *khethono,* arab. *khattanun.*

Ceterum nescio an versus Xenophanis 3, 1 sq.:

„*ἁβροσύνας δὲ μαϑόντες ἀνωφελέας παρὰ Λυδῶν*
. . . *ἤεσαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε' ἔχοντες.*“

in meam partem possint converti, quamquam vituperationem etiam in sola voce *παναλουργέα* inesse posse concedo.[1])

Nomina propria.

Omnes fere gentes nomina propria aliarum gentium ita tractare solent, ut notissima quaeque et usitatissima quasi in suum usum convertentes ad ipsarum linguae leges immutent, rariora magis intacta relinquant. Ut igitur nostrates, in talibus

[1]) Aut igitur a Lydis aut a Phoenicibus, certe a Semitis rem et nomen ductum esse putaverim: ut tamen aliquid ponam, haudscio an de radice pharas cogitandum sit: cf. hebr. *phâras* [פָּרַשׂ], syr. *ph'ras,* arab. *pharasha* = expandit: unde ab Arabibus subst. deductum est

multo accuratiores quam veteres, tamen e. c. Frankreich, Paris, Mailand, Florenz, Neapel Raphael, Ariost, Tizian ita ut scripsi, contra e. c. Rouen, Reggio, Correggio, Goldoni tam plene ut fit ab ipsis Francogallis et Italis pronuntiare solent, sic etiam apud Homerum e. c. Ἦλις, α mutato, contra Elidis oppidulum Φειὰ servata vocali α legitur: interdum autem in eodem nomine α in stirpe remansit, in terminatione in η transiit.

Iam igitur singula enumerabo:

Κᾶρ Il. 2, 867. — 10, 428.

Λάρισσα Il. 2, 841. — 17, 301 (cf. de nominibus in ισσα, ισσος, ησσος, ασσος Pott. Personennamen p. 452).

Φᾶριν Il. 2, 582 (cf. Paus. 3, 2, 6. 20, 3. Strab. 8 p. 363).

Ἄσιος Il. 2, 837. 838. — 12, 96. 163. — 13, 384. 414. 561. 759. — 16, 717.

Ἄσιος adj., vel Ἀσίης subst. Il. 2, 461, ubi alii Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, alii Ἀσίω (h. e. Ἀσίεω) ἐν λειμῶνι.[1])

Ἀσιάδης Il. 17, 583. 13, 771.

Ἀσωπὸς Il. 10, 287. — Od. 11, 260.

Ἀρήνη Il. 2, 491 (Hymn. 2, 422).

Λᾶα Il. 2, 585 (Λᾶαν: cf. Lobeck. paralipp. I, 78).

Φειᾶς Il. 7, 130 (cf. Φεὰς Od. 15, 297; Strab. 8, p. 350; 10, p. 447).

Θεᾶνὼ Il. 5, 70. — 6, 298 (Κισσηΐς). 302. — 11, 224. — (Hymn. 4, 450 Ῥᾶριον; hymn. 1, 209 Ἀζᾶνίδα κούρην, ubi alii Ἀτλαντίδα legunt).

Huc denique Apollinis nomen pertinere mihi videtur, in cuius formis quadrisyllabis prima nonnumquam producitur: quod sola metri causa factum esse mihi persuadere non possum, praesertim cum poetam tali productione facile carere potuisse inde

---

phirâshun, plur. phurshun = stratum, stragulum. Tale igitur substantivum iam apud Phoenices vel Lydos in usu fuisse puto, cuius stirps fuerit phars (cf. Arcadius p. 124, 15: φᾶρ · τὸ ἱμάτιον) φᾶρος tum proprie est „stratum“, „stragulum“ = τάπης.

[1]) Lyrici et tragici eam sibi constituerunt regulam, ut Ἀσίη dicerent, sed Ἆσις: cf Mimnerm. 9, 2. Archil. 25. Simonid. Ceum 135, 1. 142, 1. 7. — Chöril. apud Ephor. (fragm. 76 = Strab. 7 c. 3). — Orac. ap. Herod. 7, 140.

maxime appareat, quod in ipsis formis quadrisyllabis prima vel saepius corripitur:

legimus enim Ἀπόλλωνος Il. 1, 14. 370. 373. — 5, 444. — 16. 711. — Od. 9, 198. — 20, 278.

Ἀπόλλωνος Il. 1, 75. 405. — 5, 509. — 7, 83. — 9, 405. 560. — 20, 295. — 21, 278. — Od. 6, 162. — 9, 201. — 15, 526. — 19, 86.

Ἀπόλλωνι Il. 1, 66. 315. 438. — 4, 101. 119. — 16, 513. — 23, 872.

In hoc casu A nusquam corripitur.

Ἀπόλλωνα Il. 1, 21. 86. — 15, 143. — 17, 333.

Ἀπόλλωνα Il. 15, 220. — 16, 666. — 21, 228. 435.

Quae de origine nominis e graeca lingua derivanda prolata sunt, nullo modo satisfacere mihi fatendum est, partim quod linguae leges eis mutationibus, quae statuendae forent, repugnant, partim ipsa vetante dei natura et indole. Ut enim de iocis Platonis (Crat. 405 C), de nugis Chrysippi (Macrob. 1, 17) taceam, quid tandem probabilitatis eorum sententia habet, qui nomen dei benignitate insignis a verbo ἀπόλλυμι deductum putent? (cf. Archiloch. et Eurip. apud Macrob. l. l. Passow. in lex.): nonne etiam forma dorica Ἀπέλλων (Herod. apud Eustath. 183, 10), — lat. Apello apud Paulum 22, 14, osca Abellan (Mommsen, unterital. Dial. 245) — thessalica Ἄπλουν (Plat. l. l.) satis superque reicitur?

Neque magis placet quod Döderl. II, 30 (494), Preller I, 189 nomen ex ἀπο-είλειν h. e. ἀποϝελjειν derivant, sic: Ἀποϝέλλων Ἀπϝέλλων Ἀππέλλων Ἀπέλλων, cum, etsi in hac etymologia productionis origo perspiceretur, apocope in praepositione ἀπὸ rarissime inveniatur neque satis appareat, unde *o* vocalis fluxerit. — Quamquam igitur de hoc nomine nil certi statuerim, tamen in quaerenda origine id quoque ut productio syllabae prioris sive ex vocalis natura, sive ex pristina consonarum geminatione explicetur, spectandum esse contendo.[1])

[1]) Facere hic non possum quin eius sententiae mentionem faciam, quam audivi a Stickelio, praeceptore carissimo: is enim ut alia deorum nomina velut Ἀφροδίτη, Ἄρτεμις sic Apollinis quoque ex lingua externa petitum esse ratus contulit Semitarum Baal, cum articulo (quem dei nomen semper accipit) Habbaal; inde primum Ἀππαλ, deinde sin-

III.

De eis vocibus in quibus vocalis α metri causa producta est.

Quamquam voces metri causa ad arbitrium mutare in quavis poesi pro maximo vitio habendum est, tamen ne Homerus quidem hoc crimine prorsus liberari potest. Pleraeque autem voces hoc modo affectae eiusmodi sunt, ut vocali non producta in metro dactylico omnino poni non potuerint, quamquam hic illic poetam alia forma adhibita usitatum dicendi genus servare potuisse nequit negari.

Quae autem huc pertinent, haec sunt:

ἀθάνατος locis innumeris.

ἀκάματος Il. 15, 598. 731. — 18, 225. — 21, 13. 341. — 23, 52. — Od. 20, 123. — 21, 181.

ἀνέφελος Od. 6, 45.

πᾱναπάλῳ Od. 13, 223.

ἀποδίωμαι Il. 5, 763. — ἀποπέσῃσιν Od. 24, 7.

ἀπονέεσθαι Il. 2, 113. 288 et sic ubique in hoc verbo.

ἀγοράασθε Il. 2, 337.

In his formis omnibus quin vocalis natura brevis sola metri causa producta sit non potest dubitari. Quod enim α privativum attinet, apud Graecos quoque (ut in linguis Italicis et germanis) formam pleniorem αν ad consonas accessisse, h. e. vetustissimo graecitatis tempore fuisse ἀνθάνατος, vestigiis certis non confirmatur, in voce παναπάλῳ autem vestigium productionis quae olim erat, ea de causa agnoscere dubito, quod in omnibus reliquis compositis, quae metro dactylico minus repugnant, vocalis corripitur velut πᾰναγρος, πᾰναίολος, πᾰναιθος. Denique in praepositione ἀπὸ et verbo ἀγοράομαι (cf. Curt. Grdz. 667) ne species quidem vetustioris productionis conspicitur.

Idem autem quod in α vocali etiam in vocalibus ε et υ poeta sibi sumpsit, cuius rei pauca afferam exempla:

ἐπίτονος Od. 12, 423.

ζέφυρίη Od. 7, 119.

---

gulae dialectorum formae quantum video prodire potuerunt. Quae ratio si non certa est, tamen eis etymologiis quas supra refutare studui, probabilitate longe praestare mihi videtur.

δῡναμένοιο Od. 1, 276. Δῡναμένη Il. 18, 43.
ῡ̔λακόμωροι Od. 14, 29. — 16, 4. Ὑ̄λακίδης Od. 14, 204.
κῡάνεον: sic in omnibus formis ab hac stirpe deductis, ubi litteras αν syllaba brevis sequitur.
Φῡλακίδαο Il. 2, 705. — 13, 698.
θῡγατέρες: sic, ubi plus tribus syllabis in hac voce efficiuntur.

Apud posterioris aetatis poetas in voce ἀθάνατος prima semper producitur, pro ἀκάματος (Sappho 118, 2) plerumque forma ἀκάμας usurpatur, quae iam Il. 18, 239 et in nomine Ἀκάμας exstat: et sic pro ἀπάλαμος (Hes. Op. 20) postea ἀπάλαμνος in usu erat, velut apud Sol. 27, 12. Theogn. 281. 481. Alcae. 50, 1. Simonid. Ceum 5, 3.

Iam duae restant voces, de quibus quaestio paullo difficilior est, πεντακόσιοι et ἀνήρ.

Primum illud legimus Od. 3, 7: „πεντακόσιοι δ᾽ ἐν ἑκάστῃ“, quae scriptura Aristarchi et Herodiani auctoritate confirmatur (cf. Scholia): qua reiecta recentiores editores πεντηκόσιοι scripserunt.

Id igitur hac in re quaeritur, utrum ea productio quae in numeris 30—90, 200. 300 exstat, apud Iones etiam maiores numeros ex analogia occupaverit, an potius hic licentia poetae metri necessitate coacti agnoscenda sit: illud enim si statuimus, „πεντηκόσιοι“, contra si hoc „πεντᾱκόσιοι“ scribatur necesse est.

Quae quaestio facillime diiudicaretur, si apud Herodotum 9, 28, ubi vox ter invenitur, lectio constaret: cum autem codices quamquam in vocibus ἑξακόσιοι, τεσσαρακόσιοι consentiunt, inter πεντακοσιοι et πεντηκόσιοι fluctuent, rem adhuc in dubio relinquere praestat. Videamus igitur de altera illa voce

ἀνήρ.

In subst. ἀνήρ apud Homerum α in formis trisyllabis, rarius in nominativo producitur: semel exstat vocativus, vocali producta.

Hae igitur formae adnotandae sunt:

ἀνὴρ Il. 10, 341. — 13, 131. — 18, 319. — 23, 112. — Od. 2, 58. — 3, 383. — 4, 204. 271. — 5, 194. 249. — 6, 184. 232. — 8, 209. — 9, 384. — 12, 77. 83. — 15, 23. 400. — 16, 45. 97. 115. — 17, 537. — 20, 235. — 293. — 21, 199. — 22, 6. 268. 285. — 23, 159.

ἀνέρος Il. 16, 423. — 17, 435. — 18, 321. 433. — 21, 308. — 24, 318. — Od. 1, 161. 218. — 4, 169. 207. 7, 22. — 8, 147. — 14, 200. — 17, 323.

ἀνέρι Il. 16, 516. — 17, 421. — 19, 417. — 21, 213. — Od. 1, 292. — 2, 223. — 8, 547.

ἀνέρα Il. 13, 131. — 22, 38. 418.

ἀνερ Il. 24, 725.

ἀνέρε Il. 11, 328. — 12, 447. — 17, 378.

ἀνέρες Il. 2, 1. — 5, 529. 861. — 6, 112. — 8, 174. — 9, 384. — 11, 287. 549. — 12, 271. — 14, 149. — 15, 272. 487. 561. 661. 734. — 16, 270. — 17, 185. — 18, 515. — 21, 586. — Od. 1, 176. — 3, 471. — 4, 827. — 9, 90. — 11, 123. — 13, 233. — 14, 410. — 15, 163. 302. 345. — 16, 236. — 17, 588. — 22, 306. — 23, 270.

ἀνέρας Il. 2, 554. — 9, 239. — 11, 497. — 17, 328. — 23, 111. — Od. 11, 630. — 17, 502. — 18, 184. — 20, 370.

Praeterea exstant ἀνήρ. ἀνδρὸς. ἀνδρὶ. ἄνδρα. ἄνδρες. ἀνδρῶν. ἀνδράσι. ἀνδρέσσιν.

Etiam apud Hesiodum et lyricos in formis non syncopatis α producitur, velut ap. Cleobul. 1, 1. Demod. 2, 1 (?), Phocyl. 15, 2, Xenophan. 6, 4: in nominativo ἀνὴρ semper fere corripitur α (Archiloch. 32, 1. Simonid. Amorg. 6, 1. — 7, 16. — Sol. 33, 1. — 36, 19. — Theogn. bis et vicies): producitur in versu suspecto Solonis 13, 39.

Stirps huius vocis, quamquam nonnulli ϝ in initio fuisse contenderunt, quos Curt. Grdz. 287 refutat, haud dubie est nar, quae in nomine Nero „quo significatur lingua sabina fortis et strenuus“ (Suet. Tib. 1, cf. Gell. 13, 23, 7) et in voce Indica nri conspicitur: quo apud Graecos α prostheticum (Curt. Grdz.

676 sqq.) accessit, deinde post elisam vocalem δ interpositum vel potius ex ipsa pronuntiatione eodem modo atque β in ἄμβροτος ortum est.

Quae omnia si vera sunt, α vocalis nulla alia quam metri causa produci poterat: hoc autem, cum nec nominativus nec ipsae formae trisyllabae dactylico rhythmo repugnent et aliae praesto fuerint formae breviores, neglegentiae est quae in homericis carminibus aliquid offensionis habeat. Quare quamquam dubitanter rem alio modo explicare conabor. Ut enim in voce ἐν-νέα (cf. Curt. Grdz. 290. 677) non solum prosthetica vocalis ad stirpem accessit, sed ipsa quoque liquida geminata est, sic vetustiore tempore etiam ἀν-νερ- fuisse, productionem igitur prioris syllabae non in vocali sed in liquida positam fuisse putaverim: hoc si ponimus, in Homeri carminibus vetus productio ubi commoda erat, retenta, non syllabae quantitas ut facilius in metrum quadraret, ad arbitrium mutata est.

B.

De eis vocibus homericis, in quibus α productum esse non metro, sed ex aliis causis concluditur.

Paucae sunt voces in quibus quantitas vocalis α, cum aut in diphthongis aut ante duas consonas posita sit, non e metricis sed ex etymologicis causis cognoscitur, in scriptura autem accentu aut alio modo, interdum non recte ut videbimus, exprimitur.

Quodsi primum de α vocali in diphthongis posita quaestionem instituimus, de dativo sing. neutrorum σέλας δέπας γῆρας κέρας, deinde de voce ναῦς dicendum est.

σέλας . δέπας . γῆρας . κέρας.

Huc pertinent hi versus, quos sic afferam ut a Dindorfio scripti sunt:

Il. 8, 563: εἵατο πεντήκοντα σέλᾳ πυρὸς αἰθομένοιο.
Od. 21, 246: θάλπων ἔνθα καὶ ἔνθα σέλᾳ πυρὸς κτέ.
(cf. Hes. th. 867: ὡς ἄρα τήκετο γαῖα σέλᾳ πυρὸς . . . .)

Od. 10, 316: *τεῦξε δέ μοι κυκεῶ χρυσέῳ δέπᾳ ὄφρα πίοιμι.*
Od. 11, 136: *γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον.*
Il. 11, 385: *τοξότα, λωβητὴρ κέρᾳ ἀγλαέ :* sic Aristarch.

Quo iure in his dativis *α* pro producto accipiatur ut diiudicari possit, paucas formas neutrorum in *ας*, quales exstant apud Homerum, apponam:

σέλαϊ Il. 17, 739. — *δέπαϊ* Od. 15, 149.
δέπᾰ Od. 19, 62. — 20, 153. — *δεπᾰ́ων* Il. 7, 480.
δεπᾰ́εσσιν Il. 8, 162. *δέπασσιν* Il. 15, 86.
γήρᾰος Il. 22, 60. Od. 15, 246 et saepius.
γήρᾰϊ Il. 5, 153. Od. 15, 357.
κέρᾰ Od. 19, 211. — 21, 395 (sequitur vocalis, quare rectius hic *κέρᾱ* agnoscitur). — *κερᾰ́ων* Il. 17, 521. Od. 3, 439. — 19, 466. — *κερᾰ́εσσιν* Il. 13, 705. Od. 19, 563.
κνέφᾰος Od. 18, 370. — *σφέλᾱ* Od. 17, 231 (= *ᾰ* sequ. voc.)
τέρᾰα Od. 12, 394. *τερᾰ́ων* Il. 12, 229.
τερᾰ́εσσιν Il. 4, 408.
γέρᾰ Il. 2, 237. — 9, 334. — *γέρᾰ* Od. 4, 66.
κρέᾰ Il. 9, 217. — *κρέ'* Od. 9, 297.
κρέα Od. 9, 347. — 12, 395. — (*κρεᾰ́ων* hymn. 2, 130).
κρεῶν Od. 15, 98. *κρειῶν* Od. 1, 141 (cf. Kuhn. in Kuhn. Z. II, 236). — *κρέᾰσιν* Il. 8, 162. — 12, 311.

Itaque cum *α* vocalem non solum ubi in stirpe est, brevem esse, sed etiam ubi contractione ex *αα* prodiit saepius correptam esse videamus, eis assentiendum est, qui illud *ασ* prorsus idem suffixum atque *ος* in *γένος*, *ες* in *σαφὴς*, nempe vetustiorem formam esse existimant: ex quae ratione etiam confusio neutrorum in *ας* et *ος* quae est apud Homerum intellegitur. Cum autem neutra in *ος* et *ες* dativum non suffixo ai, sed i, quod proprie ad locativum pertinet, efficiant — cf. *γένει* = *γένεσ-ι*, — etiam in vocibus in *ας* dativum e. c. *δεπᾰσι* postea *δεπᾰι* fuisse concedendum est. Iam, ut Thiersch. verbis utar, qui p. 297 (§ 189, 18) breviter et perspicue hac de re egit, „*ι* darf weder elidirt werden, noch auch unterschrieben werden, da das *α* kurz ist, also kein unterschriebenes Jota zulässt. Demnach bleibt nur übrig, es beizuschreiben:“ quod fecerunt Bekkerus et Kirch-

hoffius. Reliqui autem viri docti (Krüger. 19, 7, 1; Lobeck p. El. II. 300, alii) quomodo rem sibi finxerint non perspicio.[1])

νηῦς.

Vox νηῦς ea de causa ad meam quaestionem pertinet, quod cum et in homericis carminibus et posteriore Jadis et Atthidis tempore in compositis, interdum etiam in flexione α vocalis retenta sit,[2]) de quantitate illius α iure potest dubitari. Ut igitur intellegatur quidnam rei sit, quam brevissime formas epicas, ionicas (Herodoteas), atticas apponam, singulis locis in re tritissma non indicatis:

Ep.	Herod.	Att.
νηῦς	νηῦς	ναῦς
νηός, νεὸς	νεός	νεὼς (νᾱός, fort. dorice).
νηί	νηί	νηί.
νῆα, νέᾱ (Od. 9, 283)	νέα	ναῦν.
νῆες, νέες	νέες	νῆες.
νηῶν, νεῶν	νεῶν	νεῶν.
νηυσὶ, νήεσσι, νέεσσι	νηυσί	ναυσὶ.
νῆας, νέας	νέας	ναῦς.

cf. (ap. Hom., e. c. Od. 14, 498) ναῦφιν, apud Hom. Herod. Att. ναύτης ναυτίλλεσθαι, ναύλοχος et similia, denique nomina propria velut Ναυσίθοος, Ναυσίκλυτος, Ναυσικάα (contra Ἐχένηος Od. 6, 155. — 11, 342).

Huius vocis stirpem si ponimus esse νᾱϝ, Skrt. nâvas, lat. nâvis comparantes, eamque in Iade in νηϝ = νηυ transiisse, hoc autem in νευ correptum esse statuimus (cf. Delbrück in Curt. Stud. II, 200), tum in omnibus formis atticis et ionicis, in quibus αυ est, α pro producto, contra linguae leges servato habendum est: id vero si quis eo excusare studeat, ut in diphthongo legem non tam accurate servatam esse dicat, quid tandem statuamus de forma ἀενάοντα (Od. 13, 109: cf. Hes. Op.

---

[1]) Rationem qua Göttling. ad Hes. th. 867 scripturam σέλᾳ defendere studuit, ne refutare quidem opus est. Quod autem Attici nescio qua falsa analogia ducti δέπᾳ etc. dicebant, id minime satis causae est ut iam dialecto homericae talia intrudamus.

[2]) cf. Hinr. p. 73.

595 ἀεινάου), quam ab eadem radice[1]) deductam esse certum est? An hic quoque vocalem servatam et postea demum correptam esse putemus? quod mihi probabilitatem habere non videtur: immo, cum omnes huius vocis formas perlustro et quanta constantia lex illa de â mutando valuerit mecum reputo, facere non possum quin praeter stirpem νᾱϝ vel νᾱυ breviorem νᾰϝ vel νᾰυ agnoscam et antiquissimo tempore flexionem ex utraque stirpe factam esse, postea alterutram formam praevaluisse existimem: quae sententia dativis homericis νηυσὶ-ναυσὶ maxime confirmaretur, si in compositis supra allatis „Ναυσι-" re vera dativum esse constaret: sed hoc, quod contendit Herodian. II, 553, 13, negat Iusti p. 41, adhuc cum Toblero („Die Wortzusammensetzung etc.") p. 49 in dubio relinquendum est.

A pleniore igitur stirpe νᾱϝ necesserio eae formae deductae sunt, in quibus diphthongus est ηυ: νηῦς, νηυσὶ: contra eae a breviore νᾰυ, ubi αυ conspicitur; in reliquis autem formis potest dubitari, utrum ex νᾱϝ νηϝ — νεϝ, an ex νᾰϝ νεϝ — νη prodierint.

Iam videamus de â vocali ante duas consonas posita: quaeritur autem de vocibus ἆλτο ἆλσο, de nonnullis comparativis, de adverbio χαμᾶζε.

ἆλτο, ἆλσο.

ἆλτο exstat Il. 1, 532. — 3, 29. — 4, 125. 419. — 5, 111. 494. — 11, 211. — 12, 81. — 13, 611. — 18, 616.
ἐσᾶλτο Il. 12, 466. — 13, 679.
ἐπᾶλτο Il. 13, 643. — 21, 140.
ὑπερᾶλτο Il. 20, 327.
ἆλσο Il. 16, 754.[2]) — Addenda sunt participia ἐπάλμενος Il. 7, 15. — ἐπιάλμενος Il. 7, 260. — Od. 22, 305. — μετάλμενος Il. 5, 336. — 11, 538. — 12, 305. — 14, 443. — 23, 345 (ἐξάλμενος Il. 15, 571. — 17, 342. — 23, 399. ὑπεράλμενος Il. 5, 138).

[1]) Radix est snu = νυ, (aucta νᾰυ): cf. Curt. Grdz. 292, 297.

[2]) Formas κατεπαλτο Il. 19,351 et ἀνεπαλτο Il. 8,25. — 20,424. — 23,694 a verbo πάλλω, non ab ἅλλομαι, deductas ideoque κατέπαλτο, ἀνέπαλτο scribendas esse Spitznerus in Excursu XVI haud dubie recte exposuit.

Lenem in formis ἆλτο ἆλσο — qui etiam in ἐπάλμενος et μετάλμενος conspicitur — expressis verbis confirmant Schol. ABVL ad Il. 1, 532 (cf. Buttm. gr. gr. II, 109 not.), neque de accentu dissensio videtur fuisse.

Iam cum in voce ἅλλομαι neque alibi lenis vestigia inveniantur[1]), neque causa cur in verbo a radice sal (Curt. Grdz. 500) deducto α vocalis longa sit perspici possit, in his formis aeolismum deprehendere sibi visi sunt viri docti (cf. Hinr. 76. 150. 175), quibus assentiendum esse existimo. Itaque cum in producta vocali augmenti more aeolico conformati vestigia appareant, non opus est scriptura ἅλτο ἅλσο, quam proposuit Bekkerus, praesertim cum ne sic quidem eae formae ionicae sint.

De quibusdam Comparativis.

Hic de formis ἆσσον, μᾶσσον, θᾶσσον, μᾶλλον dicendum est: leguntur his locis:

ἆσσον Il. 1, 335. 567. — 6, 143. — 9, 508. — 14, 247. — 15, 105. — 20, 429. — 22, 4. — 23, 8. 97. — Od. 9, 300. 380. — 10, 537 = 11, 50. — 13, 368.

μᾶσσον Od. 8, 103.

θᾶσσον Il. 2, 440. — 4, 64. — 6, 143. — 12, 26. — 13, 115. — 16, 129. — 17, 654. — 19, 68. — 20, 257. 429. — 23, 53. — Od. 2, 307. — 7, 152. — 10, 33. 228. — 15, 201.

μᾶλλον Il. 2, 81. — 5, 208. 231. — 12, 344. — 13, 638. — 15, 380. — 19, 16. 200. 231. — 21, 305. — 22, 235. — 23, 386. — Od. 1, 89. — 5, 284. — 11, 213. — 15, 198.

Quonam iure in his formis circumflexus positus sit, h. e. α vocalis producta esse putetur si quaerimus, primum hoc uni-

[1]) Nam ἄληται Il. 21, 536; ἅλεται Il. 11, 192 ex falsa etymologia a Tyrannione et Aristonico profecta sunt (Schol. ad Il. 11, 192): verum, quod iam apud Eustath. et in Etym. Orionis 65, 1 indicatur, Spitznerus primus reposuit, assentientibus Bekkero, Curtio (Schulgr. 316, 32 D p. 150), Ribb. 67.

Ceterum nonullis locis ἆλτο ab ἰάλλω, non ab ἅλλομαι deducendum esse, quod Kuhn K. Z. 5, 206 sqq. demonstrare studuit, quamqnam diu dubitavi, tamen mihi non potui persuadere: cf. Curt. Grdz. 500.

versae fere antiquitatis opinionem sermonis vulgaris usu maxime nisam fuisse dicendum est: diligentius autem rem aspicientes, in forma ἆσσον etiam causam etymologicam inesse videmus, cum ex radice ἀγχ, quam ex ἄγχι, ἀγχοῦ cognoscimus, cum suffixo ιων ἀγχιων ἀνσσων, deinde productione suppletoria ἄσσων, neutr. ἆσσον prodiisse certum sit (cf. Brugm. 127).

Unde autem in reliquis illis formis productio orta est? nonne exspectamus ex μᾰλ-ιον μᾶλλον, ex τᾰχ-ιον (quae forma ipsa servata est) θᾶσσον, ex μᾰκιον μάσσον? Quid quod hoc genus latius patere ex formis μείζων = μεγ-jων, κρείττων = κρετ-ιων aliisque similibus apparet?

Quam rem cum alii alio modo explicare studuerint (Pott II, 1, 828, Curt. Schulgr. 70, § 198, mirifice Döderl. I, 140 (211), Hartelio qui III, 40 in suffixo ιων ι in ιj transiisse contendit ea de causa assentior, quod sic optime intellegitur, cur apud Atticos in hoc suffixo ι, ubi servatum est, producatur (cf. Krüger I, 23, 3, 1).

Ut autem praeter μείζων, κρείσσων etiam μέζων κρέσσων inveniuntur (cf. Herodian. π. μ. λ. 40, 23), sic etiam non desunt testimonia quibus in eis quoque formis de quibus agitur α vocalem non semper productam esse demonstretur: quae ea de causa commemoranda videntur, quod productionem illam re vera suo loco non esse inde dilucide apparet.

Herodianus enim π. μ. λ. 37, 10 et Draco 32, 24 mentionem faciunt formae μάσσον: μᾶλιον autem, quod Hesych. s. h. v. affert, a M. Schmidt assentiente Bergkio in Tyrtaei fr. 12, 6 restitutum est. Deinde formam μάλλον in his Chörobosci (orthogr. 240) verbis, ut sententia stet, pro „μάλιον" restituendam esse existimo: „τὰ ἔχοντα δύο σύμφωνα ὅμοια διχρόνῳ ἑπόμενα βραχὺ ἔχουσι τὸ δίχρονον. ὅθεν Ἴωνες τὸ μᾶλλον μάλιον λέγουσι": ubi enim in μάλιον illa „δύο σύμφωνα ὅμοια" sunt? Neque magis intellego quid sibi velint Schol. ad Il. 8, 353: (A) „ὑστάτιον ἀντὶ τοῦ ὕστατον, ὡς μάλλιον τὰ ἄλλα", (V) „ὑστάτιον ἀντὶ τοῦ ὕστατον ὡς μᾶλλον τὸ μᾶλλον", nisi utroque loco reponitur „ὡς μάλλιον τὸ μᾶλλον": haec autem forma μάλλιον etiam ab Eustathio nescio quo iure ex dialecto dorica affertur: habemus igitur ex

positivo μάλα quattuor comparativos μᾰ́λιον μάλλον; μάλλιον μᾶλλον.

χαμᾶζε.

Adverbium χαμᾶζε, quod saepissime exstat in homericis carminibus „προπερισπωμένως scribi affirmat Schol. A ad Il. 3, 29, quamquam χάμαζε exspectari confitetur: confirmatur autem scriptura χαμᾶζε testimoniis Herodiani π. μ. λ. 46, 29, Hesych. s. h. v., Suidae s. v. χαμάδις; χαμάζε sola Arcadii (p. 183, 14) auctoritate: χάμαζε vero praeter illum Scholiastam tutorem non nactum est.

De qua re facile iudicatur si stirpem vocis — id quod ex lat. humus, locativo χαμαὶ = χαμᾰ+ι, forma χαμᾰ́δις (Il. 3, 300. — 6, 147. — 7, 16 et saepius) dilucide apparet — χαμᾰ, correpta vocali α, esse reputamus. Cum enim suffixum ζε aeque ac φι, θε, θι ad ipsam stirpem, interdum correptam, numquam productam accedat, ea forma exspectatur, quam ab Arcadio positam esse dixi, χαμάζε.

Putemusne igitur α vocalis productionem vitio grammaticorum tribuendam, Homero χαμᾰ́ζε restituendum esse? At obloquitur forma χαμᾶθεν, quae praeter χαμόθεν vel potius χαμᾶθεν (cf. Cobet. var. l. 89) vel apud Atticos in usu erat, certe e. c. in Aristoph. Vesp. 249 ipso metro requiritur: hic quoque brevis vocalis exspectatur, sed quin producta sit dubitari non potest. Ratio igitur circumspicienda est, qua etiam in χαμᾶζε productio vocalis a tot grammaticis confirmata possit defendi: quod iam Göttlingius Accentl. 358 conatus est, hac in re infelicissime versatus. Primum enim falsam illam opinionem, ζ ex σδ ortum esse secutus χαμᾶζε in χαμᾶς-δε distinguit, deinde χαμᾶς doricum genitivum putans Homero Dorismum imputavit, χαμᾶσδε autem compositum esse voluit ut Ἄϊδόςδε, quasi hic δε, quod numquam ad genitivum accedit, non potius ad habitationis vocem mente supplendam referenda sit: hoc modo productio defendi sane nequit. — Idem potius hic accidisse existimaverim, quod supra in comparativis deprehendimus, quamquam in hac re difficili certum et verum me vidisse confidenter non contenderim. Cum enim Hesychii glossam „χαμᾶζε · χαμαὶ χαμάδες χαμάδις · τὰ αὐτά“; Suidae „χαμάδις ·

χαμαὶ εἰς γῆν καὶ χαμᾶζε χαμαί", denique formam ab Eustathio ad Od. 19, 599 allatam χαμάδι diligentius aspexissem, cum praeterea terminationes δις et δε saepius confundi (cf. οἴκαδε — οἴκαδις) reputassem, aliquo modo probabile mihi visum est ex χαμάδις, forma vetustissima et plenissima, reliquas hoc modo ortas esse χαμάδις 1) χαμάδες 2) χαμάδι, χαμάδjι, χαμάδjε, χαμᾶζε: hoc si ponimus, productio vocalis in χαμᾶζε simili modo atque in comparativis, in χαμᾶθεν ex analogia formae χαμᾶζε explicatur.

Iam nil restat quam ut eorum locorum mentionem faciam, ubi productio syllabae non in vocali, sed in vetere consonarum positione constat velut Il. 9, 419 γάρ ἕθεν pro γὰρ σϝέθεν: de qua re Hartelius tam copiose et egregie egit, ut eam indicasse satis habeam.

VITA.

Franziscus Harder natus sum Berolini d. VIII novembr. m. a. h. s. LV patre Paulo, quem mihi quintum decimum aetatis annum agenti iam ereptum esse numquam desinam dolere, matre Minetta e gente Schleideriana, qua superstite adhuc gaudeo. Fide institutus sum evangelica. Elementis primis schola realium quae dicitur huius urbis Luisiana instructus, ab anno LXIV gymnasium Luisianum adii, unde maturitatis testimonium adeptus a. LXXIII discessi riteque universitatis F. G. civibus ascriptus per bis sex menses scholas adii vv. cll. Curti, Haarbrückeri, Haupti, Huebneri, Kieperti, A. Kirchhoffi, Lepsi, Mommseni, Zelleri. Deinde Jenam cum transmigrassem per bis sex menses scholis interfui vv. cll. Capelleri, Delbrücki, Nipperdei, Peteri, M. Schmidti, Schölli, Schraderi, Sieversi, Stickeli, per idem tempus sodalis fui seminari philologi, cui tum praeerant Nipperdejus M. Schmidtius, Schöllius, per sex menses ad Schölli exercitationes adii.

Inde cum Berolinum redux factus denuo inter cives universitatis Fr. G. receptus essem, per ter sex menses ad scholas accessi Curti, Droyseni, Huebneri, A. Kirchhoffi, Muellenhoffi, Semischi, Vahleni, Zelleri per idemque temporis spatium in seminario philologo Kirchhoffi et Vahleni doctrina fructus sum, ad exercitationes denique Huebnerus, Kirchhoffius, Vahlenus aditum mihi concesserunt. — Quibus viris doctis omnibus benignitate egregia erga me usis gratias quam maximas et nunc ex animo ago et semper habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Verba Herodoti quae sunt I, 145 *„ἐν τῇ Κρᾶθις ποταμὸς ἀείναός ἐστι, ἀπ᾽ ὅτευ ὁ ἐν Ἰταλίῃ ποταμὸς τὸ οὔνομα ἔσχε“* posteriore tempore quam ea quae antecedunt et sequuntur (ab ipso Herodoto) scripta sunt.
2. Eurip. Helen. 993 *δυςκλεεῖς* scribendum est: liber *δυςκλεῶς*.
3. Aeschyl. Eum. 951 H. (996 Ddf.) *ἐκδίκοις* scribendum est: liber *ἐνδίκοις*.
4. Dionys. Halic. iudicium de Herodoto (De Thuc. iud. c. V) nequit intellegi, nisi recepta Dudithi coniectura *παραλειφθείσαις* pro *παραληφθείσαις*.
5. Theognis versibus inde a 1135 (cf. Ov. ex pont. 1, 6, 28 sqq.) vetustiorem formam eiusdem fabulae videtur alludere, quae exstat apud Hesiod. in Op. et Dieb. 96 sqq.
6. Lucr. 6, 579 scribendum est „ipsa *in* tellure“: codd. „ipsa tellure“.
7. Lucr. 3, 631 sqq. scribendum est:

   „At neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa
   „Esse potest animae neque sorsum lingua neque aures:
   „Haud igitur per se *potis est* sentire neque esse.“

   codd. possunt.
8. In Suet. vita Terenti ante verba „Nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri“ non lacuna statuenda, sed coniunctio „nam“ eodem modo intellegenda est atque e. c. Cic. d. n. d. I, 33, 94; 34, 95. — II, 27, 67. — III, 16, 41. — Suet. Aug. 45. Juven. II, 5. (Simili modo res se habet Suet. Aug. 84. 85. Calig. 24). cf. Seyffert. Schol. lat. I, 32.